








De

CYNICORUM EPISTULIS.

Dissertatio
inauguralis philologica
quam
amplissimi philosophorum ordinis consensu et auctoritate
in
academia Georgia Augusta
ad
summos in philosophia honores rite capessendos
scripsit

Guilelmus Capelle
Hannoveranus.

Gottingae.
MDCCCXCVI.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
U. de Wilamowitz-Moellendorf prof.
Examen rigorosum habitum est die IV. mens. Mart. a. h. s. XCV.

Typis expresserunt Jaenecke fratres Hannoverae.

Patri s.

Argumentum.

I.

De Diogenis epistulis.

II.

De Cratetis epistulis.

Animo propositum est in Diogenis et Cratetis Cynicorum epistulas inquirere, quae in editione Hercheriana (Epistolographi Graeci rec. R. Hercher Parisiis 1873, p. 235—258 et p. 208—217) inveniuntur. Ac primum de Diogenis epistulis dicam. Quarum libri manu scripti in duas classes discedunt. Ac prima quidem classis eorum codicum est, qui epistulas 1—29 editionis Hercherianae s. partem earum continent. Hi omnes praeter Ambrosianum (A), in quo tantummodo epistulae 18—29 inveniuntur, saeculo XV (s. XIV) exarati sunt. Ambrosianus autem, quem non archetypum reliquorum esse, sed tamen ad hunc archetypum proxime accedere satis demonstravit H. Schafstaedt,[1]) saec. X. scriptus est.

Altera classis eorum codicum est, in quibus inveniuntur epistulae 30—50 (51). Hae epistulae in quattuor tantum libris manu scriptis servatae sunt, in Palatino, Vaticano, Matritensi, Lugudunensi. Ac primo loco Palatinus saec. X. (P) nominandus est, in quo insunt epistulae 1—25, 27—28, 30—51. Hic liber ab omnibus codicibus primae classis non solum numero epistularum differt (omittit 26 et 29, addit 30—51), sed etiam aliam recensionem sequitur atque hi codices, et ordinem epistularum exhibet ab ordine eorum plane diversum. Esse tamen quaedam, ex quibus efficiatur, ordinem epistularum, qui in Palatino invenitur, quodammodo cohaerere cum ordine reliquorum codicum primus quod sciam Gercke [2]) recte intellexit. Nam si ordinem epistularum 18—29, quas Ambrosianus continet, comparaveris cum harum epistularum ordine, quem Palatinus sequitur, in Palatino, in quo desunt epistulae 26 et 29, se excipere intelleges epistulas 20—24, 18—19, 27—28, 25. Epistulae igitur 20—24 ordinem servant Ambrosiani, item 17—18, 27—28. Iam si inter se compara-

---

[1]) In dissertatione inaug. De Diogenis epistulis Gott. 1892, p. 14—16. Epistulas 1—17 in Ambrosiano nunquam scriptas fuisse inde apparet, quod in hoc codice prima epistularum Diogenis, quas exhibet, 18., media in pagina epistulas aliorum scriptorum sequitur, cf. Gercke ann. Fleckeis. suppl. XXII, p. 85.

[2]) l. c. p. 85.

veris ordinem epistularum 1—17 omissis ceteris omnibus, in Palatino se excipere videbis epistulas 13, 15—17, 14, 9—12, 8, 4—5, 7, 1—3, 6. Epistulae igitur 15—17 in Palatino eundem ordinem sequuntur atque codices primae classis, item 9—12, 4—5, 1—3. Quod casu factum esse non posse manifestum est. Itaque aut Palatinus, si ordo epistularum, quem exhibet, antiquior est, ex antiqua quadam collectione derivatus est, qua 51 Diogenis epistulae eodem ordine se excipientes continebantur (quarum 26. et 29. in Palatino nescio quo casu omissae sunt), primae autem classis codices delectum praebent 29 epistularum ex hac collectione factum,[1] — aut, si ordo epistularum in codicibus primae classis antiquior est, iudicandum est in codice Ambrosiano, si epistulae 1—17 non casu quodam in archetypo eius interciderunt, unam earum collectionum epistularum servatam esse, quae antiquis temporibus circumferebantur, alteram effici epistulis 1—17, quae in libris recentioribus primae classis cum epistulis Ambrosiani coniunctae sunt, tertiam epistulis 30—51, quae in Palatino tantummodo et in libris ex eo derivatis leguntur. Quod si verum est, Palatini epistulae ex duabus vel tribus collectionibus[2]) contaminatae sunt. — Secundo loco nominandus est codex Vaticanus 1353 s. XV (V), quanquam in epistulis 1—29 eandem recensionem sequitur atque codices primae classis. Nam his ex Palatino Const. Lascaris epp. 30—40 addidit ceterisque praefixit; omisit, sed postea addidit epp. 48 et 50, bis scripsit ep. 13. initio diverso (θηβαῖε μεγάσθενες) deceptus.[3]) — Tertium alterius classis codicem, Matritensem saec. XV ex Vaticano descriptum esse satis mihi comprobasse videtur Schafstaedt.[4]) Idem de quarto codice, Lugudunensi saec. XVII., dicendum est, in quo tantummodo epistulae 30—40, 13, 41—50 exstant. (Schafst. l. c. p. 32.)

Cap. I. De auctore s. auctoribus.

Quoniam de codicibus dixi, nunc de auctore, aetate, fontibus epistularum dicam. Spurias eas esse Boissonadius,[5]) qui partem earum (30—51) primus edidit, ita demonstravit, ut de hac re verba facere

---

[1]) Quod qui putaverit, ei aut in codicis Ambrosiani archetypo epistulas 1—17 casu quodam intercidisse aut huius codicis scriptorem ex epistulis 1—29 minorem numerum (18—29) delegisse statuendum est.

[2]) Hoc Gercke putat, qui l. c. explicare studet, quomodo factum sit, ut in Palatino epistulae Diogenis eo ordine se excipiant, quem codex exhibet. Sed quanquam quae disputat satis acute excogitata sunt, tamen ad liquidum rem perduxisse mihi non videtur.

[3]) Cf. Schafst. l. c. p. 28.

[4]) l. c. p. 31—32.

[5]) In Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque du roi etc. X 2 (1818).

supervacaneum sit. Omnino quod epistulae proprium esse solet, his epistulis deest, neque ullum indicium invenitur, cuius ingenii auctor s. auctores fuerint, nisi eos rhetores s. rhetorum discipulos fere omni scribendi arte destitutos fuisse, neque indagari potest, quo loco epistulae conscriptae sint. Quin etiam in haud paucis epistulis, quae legimus, omnino ad illos homines, [1]) quibus mittuntur, non spectant. Ex compluribus ipsis ne id quidem cognosci potest, auctorem sub Diogenis Cynici nomine scribere, ut ex epp. 41. 43. 47. (48) 50 auctorem nihil nisi Cynicum, ex ep. 17 et 51 nihil nisi virtutis praedicatorem se esse simulare videmus. Ceterum quod auctor (s. auctores), se sub Diogenis Cynici nomine scribere saepius oblitus est,[2]) non mirabimur.

Oritur igitur quaestio, quanam aetate hae epistulae conscriptae sint. Qua de re post Boissonadium, qui l. c. p. 218 sententiam breviter protulit, Marcksius, in diss. inaugurali („Symbola critica ad epistolographos Graecos“ Bonn. 1883) accuratius egit. Qui antequam hanc quaestionem tractaret, recte id sibi examinandum esse putavit, num hae epistulae omnes ab eodem auctore conscriptae essent. Eo autem deductus est, ut cunctas eidem rhetori tribui posse statueret. Qua de re plane aliter sentiendum esse mihi persuasissimum est. Ac primum, ut hoc intellegas, conferas quaeso ep. 25 et 39. [3]) In

---

1) Quorum haud pauci nobis plane ignoti sunt, ut Εὐγνήσιος (ep. 8, nomen est corrupte traditum), 'Απόληξις (13. 16. 18; nomen Diogenis temporibus apud Atticos saepius invenitur, cf. e. g. 'A. ἐξ Οἴου C. I. A. III 783, 'A. ἄρχων 106, 646), 'Ανταλκίδης (17; fortasse nomen scriptoris philosophi, cf. ep.), Μελήσιππος (20, 41; nomen auctori traditum fuisse videtur, cf. praeterea, quod ep. 42. Μελεσίππη mittitur, quae item ignota est. σοφὴ autem a Melanippa Euripidis appellatur), 'Αμύνανδρος (21), 'Αγησίλαος (22; rex Lacedaemoniorum intellegendus est, verba μείζω τῶν ἀνθρώπων φρονεῖν auctoris stupidi (legas ep.) ignorantiam satis produnt), Λακύδας (23; in ep. 37 Λακύδης quidam commemoratur, qua ex re fortasse conicere licet, hoc nomen auctori traditum esse. Ceterum has duas epistulas non eiusdem auctoris esse infra videbimus), Ἵππων (25; hoc loco mirus quidam casus commemorandus est — si casus est —, in C. I. A. II 986 II catalogum thiasotarum exstare, qui hoc modo incipit Διογένους (!) θίασος. Διογένης Τιμόμαχος (homini huius nominis epistula 36. Diog. inscribitur!) tum inter alia nomina Ἵππων 'Αγρυλῆθεν) Αννίκερις (27; nomen a Cyrenaico desumptum, de quo ipso hoc loco cogitandum esse Wilamowitzius putat), Φαινύλας (sic P, Φαίνυλος Westermann, ep. 31), Φανόμαχος (ep. 33), 'Ολυμπιάς (in ep. 34, quae feminae huius nomine inscribitur), mater Diogenis appellatur, Σώπολις (35), Τιμόμαχος (36), Ρῆσος (48), Χαρμίδας (50), 'Επιμενίδης (51). — Praeterea nonnulli homines, qui in epistulis commemorantur, nobis ignoti sunt. — Μηνόδωρος φιλόσοφος (18). Λακύδης (37) — Εὐρήμων (50, qua in ep. nomen ad ea, quae ibi narrantur, ab epistolographo accommodatum est). Cf. etiam quod Diogenis pater in epp. 'Ικέτης appellatur, (ep. 1. 2. 7. 30) qui alibi 'Ικέσιος nominatur. Illa nominis forma auctori (s. auctoribus) tradita est

2) Ut in epp. 1. 4. 6. 8. 22. 35, 2. 36, 6. 39. 40, 5. 45. 48.

3) Cf. ad § 1 huius ep. Phaed. 64 c. 67 c—e. 80 e. 117 c. 60 b, ad § 2 init.

illa Diogenes se ab Hippone de morte et sepultura interrogatum esse fingens satis esse secundum virtutem et naturam vivere respondet, sed verba ipsa appono: Παρεκάλεις με ἐπιστεῖλαί σοι ὅ τι ποτὲ ἔγνωκα περὶ θανάτου καὶ ταφῆς, ὡς οὐκ ἂν τέλειος φιλόσοφος γενόμενος, εἰ μὴ καὶ τὰ μετὰ τὸ ζῆν παρ' ἡμῶν μάθοις· ἐγὼ δὲ ἱκανὸν ἡγοῦμαι τὸ κατ' ἀρετὴν καὶ φύσιν ζῆσαι καὶ τοῦτ' ἐφ' ἡμῖν εἶναι κ. τ. λ., tum μηδὲν δὲ εὐλαβηθῇς ὅλως τῶν τότε ἀναίσθητος ὤν. At in ep. 39 de animae post mortem a corpore solutae itinere et de vita, quae apud inferos agitur, narratur. Etsi Platonis illi libri, ex quibus hae sententiae desumptae sunt, (Phaedo et Respublica), apud veteres ab omnium scholarum philosophis legebantur, (imprimis Phaedo), ea, quae in ep. 25 legimus, cum ep. 39 adeo pugnant, ut eas ab eodem auctore conscriptas esse nullo pacto concedere possim. — Deinde ep. 28. a ceteris omnibus Cynicorum epistulis plane secernenda est. Re vera omnino non epistula, sed oratio est. Ceterum vel initium Δ. τ. κ. Ἑλλησιν οἰμώζειν a ceteris, quae salutationis formula χαίρειν s. εὖ πράττειν inscribuntur, prorsus abhorret. Imprimis autem genus dicendi epistulae a ceteris omnibus maxime est diversum. Ceterae enim fere omnes rhetorice a rhetorum discipulis scriptae sunt, sed huius auctor rhetorum artes aspernans tanto ardore et ira scripsit, ut quae scripsit ex veris atque intimis animi affectibus fluxisse videantur. Atque ceterae Diogenis epistulae omnes ad singulos homines mittuntur, haec Graecis universis inscripta est. Totam autem epistulam cynicam esse infra videbimus. — Tum ep. 40 cum ep. 29. accuratius comparanda est. Tales enim similitudines inter eas sunt, ut casui nullo pacto tribui possint. Utraque ad tyrannum est missa (nam Alexander tyrannus fingitur), [1]) in quem Diogenes vehementer invehitur. In utraque tyranno suadet, ut homini, quem missurus sit, se tractandum tradat, qui tyrannum ut medicus insania (vel falsa opinione, ep. 40, 1) liberet. Accedunt similes formae dicendi: ep. enim 29 auctor sic concludit: οὐκ ἔστιν οὖν σοι οὔτε χαίρειν οὔτε ἐρρῶσθαι, ὦ φίλτατε, in fine ep. 40 scribitur ἐρρῶσθαι δὲ ἢ χαίρειν οὐ θέμις μοι γράφειν . . Ceterae similitudines minoris momenti sunt. Num igitur idem auctor duas tam similes epistulas conscripsit? Qui

---

113 d sq., ad ultima verba § 2 67 c, ad § 4 117 c. Ad § 2 cf. Reipubl. X Eris sententias p. 614, ad § 3 Phaed. 68 b, § 3 ψυχὰς ὑψαύχενας cum auctor dicit, loci Phaedri 235 d meminisse videtur. Etiam nonnulla alia Platoni deberi videntur, quae nondum indagavi. Alia in ep. ad Cynicorum doctrinam referenda esse videntur, ut § 1 τί κατὰ φύσιν καὶ τί κατὰ νόμον. Cf. etiam quod § 3 de animae libertate et § 4 de vita libera dicitur. Praeterea verba ἀπεχομένοις τοῦ ἀγρίου βίου usque ad finem Cynicorum rationi respondent.

[1]) Quod fortasse ex Cynicorum sententia est, cf. Dion. or. IV.

hoc fieri potuisse putat, ei eundem scriptorem duas epistulas contra tyrannos composuisse, in utraque et eadem conclusione et eadem fictione,[1]) in altera eo consilio, ne plane idem scriberet, in deterius detorta usum esse statuendum est. Quod equidem mihi persuadere non possum, itaque ep. 40 ab alio atque 29 scriptam esse puto. [2]) At si non ab eodem auctore epistulas compositas esse censemus, quaenam ratio inter eas est statuenda? Aut uterque auctor idem exemplar imitatus est (scil. epist.), aut alter epistolographus alterius epistulam ante oculos habuit. In hac re indaganda aliquid lucis epistula quaedam Socratica affert. Est 12 [3]), Simonis personati, ad Aristippum missa, quam, quoniam paucorum versuum est, totam paene ascribo: ἀκούω σε τωθάζειν ἡμᾶς τῆς σοφίας παρὰ Διονοσίῳ. ἐγὼ δὲ ὁμολογῶ εἶναι σκυτοτόμος καὶ ἐργάζεσθαι τοιαῦτα καὶ ἕτοιμος εἰ δέοι σκύτη τέμνειν αὖ πάλιν εἰς νουθεσίαν ἀνθρώπων ἀφρόνων καὶ οὕτω μετὰ πολλῆς χλιδῆς οἰομένων ζῆν παρὰ τὴν Σωκράτους βουλήν. ἔσται δὲ ὁ σωφρονιστὴς τῶν ἀφρόνων ὑμῶν παιδιῶν Ἀντισι..νης (sic!), γράφεις γὰρ αὐτῷ κωμῳδῶν ἡμῶν τὰς διατριβὰς κ. τ. λ. Quam epistulam cum ep. Diog. 29. comparandam esse apparet. In hac enim Diogenes Antisthenis discipulus Dionysio hominem, qui eum σκύτει prudentem faciat, mittere vult, in ep. Socr. 12. Simo dicit „te (Aristippum) et Dionysium Antisthenes σκύτει prudentem reddet. [4]) Qua in re alterum epistolographum ex altero pendere vix quisquam putabit, praesertim cum Simonis de Antisthene verba propter finem ep. Socr. 9 dicta esse videantur. Omnino nullum indicium inveni, quo epistolographos cynicos epistulis Socraticis aut harum scriptores illis usos esse comprobetur. Itaque hic consensus nullo modo nisi inde, quod epistularum auctores ad eundem fontem redeunt, explicari potest. Qualis hic fuerit, post Wilamowitzii de ep. 12. et 13. Socr. quaestionem (in Hermae vol. 22) dubium esse vix potest.

---

[1]) Ut tyranno hominem, qui eum tractaret, se mittere velle fingeret.

[2]) Accedit ad hanc sententiam stabiliendam, quod ep. 29. genus dicendi ab ep. 40. aliquid differre videtur. Multo vehementius Diogenes Dionysium increpat. Adde quod ep. 40. auctor tam saepe interrogatione utitur (decies, ep. 29 ter). Omnino ep. 29 pluris aestimanda est, auctorem ep. 40, ut ita dicere mihi liceat, copia sententiarum plane deficere videtur.

[3]) Primo obtutu alia, 23., afferenda videtur, quam accuratius examinare necesse est. Nam quod de magistro adveniente narratur, ad Aeschinem quoque Socraticum translatum est, sed a Plutarcho (Quom. amic. ab adul. intern. p. 67c—e) verius quam in ep. Socr. 23. traditur. Videtur hoc ex antiquiore ep. Aeschinea nobis non servata desumptum esse (cf. Diog. Laert. II 63). Sed si Plutarchi locum, ubi res verius narrata est, cum ep. Socr. et Diog. composuerimus, epistulam Socr. 23 cum ep. Diog. 29 artiore vinculo non coniunctam esse intellegemus.

[4]) Cf. etiam in ep. Diog. 29, 4 fin. σωφρονίζοι cum ep. Socr. σωφρονιστής.

Wilamowitzius enim quae in his epistulis leguntur ad Phaedonis Elei dialogum Simonem redire demonstravit. Quod si verum est atque si epistula Diogenis 29. non ex epistula Socratica fluxit, illius auctor fonte egregio usus est. — Verum ut ad quaestionem, quae ratio inter Diogenis epistulas 29. et 40. intercedat, redeam, id quidem apparet, hominem Dionysio mittere, qui eum tractet, ab epistolographo non ipso excogitatum, sed e fonte antiquiore desumptum esse. Quod vero in ep. 40. Diogenes se hominem Alexandro missurum esse dicit, hoc mihi ex ep. 29. depromptum videtur, praesertim cum iudicem Alexandro mittere ineptum sit et a scriptore propterea excogitatum esse videatur, ne plane idem atque quod in ep. Diog. 29. Dionysio commendatur, Alexandro suaderet. Utrum igitur auctor epistulae 40. sola ep. 29., ut ep. ad Alexandrum scriberet, adductus sit, an utrique auctori fons communis, fortasse ep. alia (antiquior, nobis non servata) ad tyrannum missa fuerit, quanquam pro certo diiudicari non potest, tamen illud propterea mihi verisimilius videtur, quod in ep. 40. vix quicquam legitur, quod auctor ex alio fonte desumpsisse putandus sit. — Sequuntur ep. 7. et 34. Diogenis. Ut in illa apud patrem, sic in hac apud matrem Diogenes personatus habitum cynicum et nomen defendit. Ep. 7. his verbis incipit: Μὴ ἀνιῶ. ὦ πάτερ, ὅτι (κύων λέγομαι κ.) ἀμπέχομαι τρίβωνα διπλοῦν — ep. 34 sic: Μὴ ἀνιῶ (πρὸς τοὺς συνήθεις), Ὀλυμπιάς, ὑπὲρ ἐμοῦ, ὅτι τρίβωνα ἀμπέχομαι. Gloriatur in ep. 7., se opinione (δόξᾳ) liberum esse, quia Cynicus esset, hic pallio indutum esse atque ab hominibus stipem cogere arma contra opiniones esse dicit. [1]) In ep. 7. de se dicit ἐλεύθερος ὑπὸ τὸν Δία, hic (§ 3) ἐλεύθερος ὑπὸ τὸν Δία πατέρα. Ibi quoque habitum cynicum Ulixis exemplo defendit. Eundem igitur auctorem Diogenis personam ferentem in altera ep. apud patrem, in altera apud matrem cynismum suum et tam similiter defendisse mihi plane absurdum videtur cogitare. Qua re epistulam 7. ad alium atque ep. 34. auctorem referre non dubito. [2])

---

1) Cf. etiam ep. 7. δόξης, ᾗ πάντες δουλεύουσιν Ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι cum 34, 3 δόξας, δι' ἃς οὐχ ἕνα δεσπότην ᾐρήμεθα.

2) Sed si hoc statuendum est, quomodo similitudines explices? Aut alter epistolographus alterius vestigia secutus est, aut epistulae ex eodem fonte originem duxerunt. Illud autem quanquam pro certo diiudicari non potest, tamen ep. 7. ante 34. scripta esse videtur. Nam qui primus Diogenis personam gerens cynismum apud alterum parentium defendere statuit, eum id apud patrem fecisse veri similius videtur. Accedit, quod in ep. 7. versus ipsi afferuntur, qui in ep. 34. tantummodo significantur. Quodsi epistolographus quidam in ep., quam imitaturus esset, versus nonnullos significatos videbat, num eum, cum epistulam conscriberet, hos versus

Venio nunc ad epp. 30, 31, 33, 35—8, quibus narrationes ampliores ex Diogenis vita desumptae continentur, quae et rerum, quae tractantur et generis dicendi similitudine [1]) ita inter se cohaereant et a ceteris omnibus Diogenis ep. adeo differant, ut eas ad eundem auctorem referre non dubitem. Atque ea, quae in iis narrantur, ex plane alio fonte atque ceteras epp. fluxisse, postea demonstrare conabor, genere vero dicendi a plurimis ita differunt, ut in his rhetorici nihil insit, illae magis minusve rhetorice scriptae sint. Praeterea conferamus ep. 7. et 30. In hac Diogenes patri, quomodo Cynicus factus sit, enarrat, in illa se Cynicum esse apud eundem defendit. Ep. igitur 30., quod ad argumentum attinet, epistulae 7. tempore antecedit. Tum autem mirum est, ut ep. 7. auctor, si eundem ep. 30. scripsisse aut ep. 30. cognitam habuisse statuimus, nullo verbo ad ep. 30. spectet. Epistulas autem 2. et 6. quanquam iis narratiunculae ex Diogenis vita continentur, ad eundem atque epp. 8, 30, 31 etc. auctorem referre vereor, quoniam illae simpliciter ex Diogenis dicto s. facto amplificatae sunt. —

Sequuntur eae epistulae, quibus nihil nisi praecepta moralia s. ad vitae consuetudinem pertinentia continentur. Hae quoque ab eis, quae nihil nisi apophthegma s. factum Diogenis pluribus verbis exornant, secernendae sunt. Nam quanquam in ep. 9. et 11. apo-

---

ipsos attulisse veri simile est? Adde quod formula ἐ. ὑ. τ. Δ. in ep. 34. amplificata legitur ἐ. ὑ. τ. Δ. πατέρα. Quae argumenta quanquam fortasse non tanti momenti sunt, tamen mihi species quaedam probabilitatis esse videtur, epistulae 34. auctorem 7. cognitam habuisse, quanquam eum, ut eam conscriberet, sola ep. 7. adductum esse veri plane dissimile est. Multo probabilius videtur, similitudines ex eodem fonte, quo auctores usi sint, repetere, qui fortasse epistula fuit, in qua Diogenes se, quod Cynicus esset, purgaret.

1) Cf. etiam similia initia s. fines epistularum sine dubio ab auctore consulto iteratos: initt. 30. Ἧκον, ὦ πάτερ, Ἀθήναζε, 31. Ἀνέβαινον Ὀλυμπίαζε, 33. Ἐκαθήμην ἐν τῷ θεάτρῳ (αἰθρίῳ?), 35. Ἧκον εἰς Μίλητον, 36. Ἧκον εἰς Κύζικον, 37. ... ἔπλευσα εἰς Ῥόδον; fin. 36. ταῦτ' ἐν Κυζίκῳ, φίλε Τιμόμαχε, ηὐθύνθη ἡμῖν, 37. ταῦτά μοι ἐν Ῥόδῳ ἐπεὶ ἐγενόμην πρὸς Λακύδην τὸν ξένον ὡμιλήθη, 38. ταῦτα μετὰ τό σε ἀπαλλαγῆναι, ἐπράχθη ἡμῖν ἐν Ὀλυμπίᾳ. Praeterea cf. similes narrandi formulas sine dubio ab eodem scriptore usurpatas: 35, 1 πάλιν δὲ προελθὼν μικρόν: 36, 1 καὶ μικρὸν προελθών. — (De ratione inter ep. 30 et 37 intercedente postea accuratius agam.) Ceterum cum una harum epp., cum 35, ep. 8. est comparanda, quae his verbis incipit: Ἧκον εἰς Κόρινθον ἐκ Μεγάρων καὶ διαπορευόμενος τὴν ἀγορὰν παρίσταμαι διδασκαλείῳ τινὶ παίδων καί μοι ἐπεὶ οὐκ εὖ ἐρραψῴδουν — ep. 35 sic: Ἧκον εἰς Μίλητον τῆς Ἰωνίας, διαπορευόμενος δὲ τὴν ἀγορὰν παρήκουσα παίδων μὴ εὖ ῥαψῳδούντων, praeterea cf. 8, 1 καὶ δὴ οὐ διαγίνεται πολὺς χρόνος καί: 35, 2 καὶ δὴ οὐ διαγίνεται χρόνος συχνὸς καί. — Has similitudines neque ex eodem fonte neque inde quisquam repetet, quod auctorem alterius epistulae alteram usurpasse putat, nam dubitari non potest, quin idem scriptor eisdem narrandi formulis usus sit.

phthegma usurpatum est (cf. e. g. Orig. in Matth. 19, Simplic. ad Epict. m. 5, Diog. Laert. VI 49, Plut. de vit. pud. 531 F), has epp. vix a ceteris, quas modo commemoravi, secernere licet, [1]) quoniam illa Diogenis (s. Cratetis) dicta s. facta in his epp. ad consilia Crateti danda adhibentur, ita ut summa epistulae adhortatio sit. Praeterea epp. 3. et 9. conferamus. In illa enim ut in hac Diogenes primo Cratetem (s. Hipparchiam) laudat, deinde adhortatur. Atque in epp. 3, 9—12 plane idem dicendi genus invenitur. Cum ep. 10. ep. 44. item Metrocli missa componenda est, quoniam plane eiusdem generis est. [2]) Etiam ep. 47. eidem atque 44. scriptori tribuere non dubito. Plane enim eiusdem generis atque 3, 9, 12 etc. neque alio sermone conscripta est. Quacum ep. (47) 21. est conferenda propter simile argumentum et genus dicendi. Ac ne ep. 26. quidem, in qua ut in epp. 9, 11, 12 Diogenes Cratetem adhortatur, ab his secernenda videtur. [3]) — Ceterum utrum epp. 3, 9—12 etc. eidem atque 30, 31 etc. tribuere liceat necne, mihi rectius in suspenso relinqui videtur. — Nunc ad eas epistulas transeamus, quae plurimae et vilissimae Diogenis epistularum sunt 1, 4, (5) 2, 6, 13 etc. Has omnes, qui genus dicendi et argumenta accuratius examinaverit, uni scriptori tribuendas esse putabit. [4]) Sed tamen inter quasdam epp. nonnulla differre inveniet, qui eas accuratius inter se comparaverit. Ita epistulae 5. et 45., quae Perdiccae inscribuntur, non simili modo conscriptae sunt. Ep. 5. sane ex Cynicorum doctrina et paene superbe est scripta, at quae in ep. 45. legimus, [5]) ab illorum doc-

---

[1]) Ne quis ep. 11. statim post 10. legens putet illam ab alio atque 10 scriptam esse, nam propter id ipsum quod utriusque ep. sententiarum ratio inter se apta conexaque est, epistulas unius auctoris esse censendum est.

[2]) Cf. etiam simile init. ep. 10. Μὴ μόνον ἐπὶ τῇ στολῇ καὶ τῷ ὀνόματι καὶ τῇ διαίτῃ θάρρει, ἀλλὰ καὶ cum 44. Οὐ μόνον ἄρτος καὶ ὕδωρ καὶ στιβὰς καὶ τρίβων σωφροσύνην καὶ καρτερίαν διδάσκουσιν, ἀλλ' — καί.

[3]) Falso apud Hercherum τῷ αὐτῷ (scil. Ἵππωνι) inscribitur, omnes codd. Κράτητι exhibent. Cf. etiam verba τοὺς ἐν Θήβαις ad Cratetem Thebanum pertinentia.

[4]) Pro certo affirmare licet, epistulas 1. et 4. ab eodem auctore scriptas esse (idem in ep. 2. et 6. cadit), nam dicendi genere inter se simillimae sunt. Utriusque auctor rhetor indoctus est. Ceterum cf. etiam similem dicendi formam: ep. 1, 2 μᾶλλον τοῦ ἑτέρου cum ep. 4. καὶ οὐ τὸ ἕτερον. Praeterea in ep. 2. idem dicendi genus atque in ep. 6. occurrit. — Deinde 13, 16, 18 Ἀπολήξιδι missae sine dubio uni scriptori debentur. Deinde ep. 20. et 27. unius auctoris sunt. Cf. etiam quod Diogenes in utraque se virtutis nomine appellare videtur, adde convicium hic Atheniensibus, illic Lacedaemoniis factum.

[5]) Cf. ad rem, de qua in ep. agitur, D. L. VI 44, apud quem κανθαρίς ex ep. (cf. etiam Cic. Tusc. V 40, 117 de Lysimacho et Theodoro) restituendum est. Ceterum auctor Platonis sententiam ex Republicae l. X p. 615 A desumptam usurpat.

trina abhorrent, omnino quovis Cynico indigna sunt. Praeterea utraque ep. eandem rem spectat (quod Diogenes a Perdicca ad eum venire iussus est). Eundem igitur sciiptorem eandem narrationem iterum ad epistulam eidem de eadem re quamvis alia forma scribendam usurpasse vix veri est simile. Pariter de epistulis 6.[1]) et 13. iudicandum videtur. In illa Diogenes accuratius quomodo, ut poculum abiceret, adductus sit, Crateti enarrat, in hac autem Apolexidi simul cum simili facto idem narratum videmus. Quod idem auctor vix fecisset. — Itaque ep. 5. et 6., (cuius auctori 2. quoque sine dubio debetur) eidem atque ceterae huius generis epp. vix tribuendae esse videntur. Restant nonnullae epistulae, quae aut vitam cynicam defendunt aut in alios homines invehuntur. Sed horum generum epistulae inter se tam diversae sunt, ut non simpliciter duobus aliis auctoribus tribui possint. Nonnullae autem earum epistulis unius priorum generum tam similes sunt, ut eidem atque epistulae alius generis ascribendae sint. Epistulae 14. et 15., quanquam argumentum ab eis epp., quae ex dicto factove Diogenis compositae sunt, diversum est, ab his epp. tamen non secernendae sunt. Nam eodem atque ceterae huius generis (e. g. 17.) modo conscriptae sunt. Idem de ep. 7. iudico, cuius sermo ab epp. 1. et 4. mihi non differre videtur. Atque cum revera non melius quam hae conscripta sit, eam eidem atque illas scriptori tribuere non dubito. De ep. autem 34. auctore quid statuendum sit, mihi prorsus non constat, quanquam eam nulli nisi epp. 3, 9—12 etc. aut epistularum 8, 30, 31 etc. auctori tribui posse puto. — Postremo de auctoribus epistularum nonnullarum, quibus Diogenes in alios invehitur, dicam. De ep. 19. quid iudicandum sit, cum de tempore ep. disseram, exponam. — Ep. autem 29, utrum ab eodem atque ulla Diogenis epistularum, quae ad hunc diem nobis servatae sunt, conscripta sit necne, diiudicari vix potest. Est autem ep. inter has una, quae sine dubio ab eodem atque eae epp., quae dictum factumve Diogenis explicant,

---

[1]) Ad ep. 6. cf. e. g. Diog. Laert. II 37. Scriptor autem ep. cum Diogenem ex Piraeo ad Panopis fontem, ut bibat, euntem facit, Athenis vicinorum locorum ignorantem se praebet. Qui fons inter Academiam et Lyceum apud eam muri partem fluit, quae a Piraeo ascendenti quam maxime aversa est. Fontis situm ex initio Platonis Lysidis novimus, unde auctor nomen fortasse desumpsit. — Ad ep. 13. cf. item Diog. Laert. II 37. Vocem ἐπιστάτης ut in ep. a Maximo Tyrio diss. 21, 9 l. 45 de Diogene usurpatam videmus. Cf. etiam Epicteti diss. III 22, 18. — Ceterum fortasse haec quoque ep., ut eae quae antecedunt, primitus Crateti missa fuit, ut Wilamowitzius me monuit. (In P ep. incipit θηβαῖε μεγάσθενες ἀπεθέμην.).

composita sit, ep. 46. Quae quin ab eodem atque ep. 27. [1]) auctore conscripta sit, non dubium est. Conferas praeter declamationes tam similes, quas Diogenes in utraque ep. interrogationis forma usus de se ipse pronuntiat, eandem dicendi formulam 27 ἀκόλουθα γοῦν καὶ ταῦτα τούτοις 46 ἀκόλουθα γοῦν τούτοις, quam in utraque ep. sententiae similiter conformatae sequuntur. Omnino hae duae epistulae dicendi genere inter se tam similes sunt, ut vel inde eas eiusdem auctoris esse concluserim. Ep. autem 32. ab alione atque 46. scriptore composita sit dubito, quanquam oratio epistularum satis diversa esse videtur; argumentum enim plane eiusdem generis est. — Ep. 41. et 51., quarum argumentum ab epistulis, quae ex apophthegmate Diogenis factae sunt, diversum est, tamen propter simile dicendi genus harum auctori tribuere non dubito. Ceterum ep. 41. sententiam aperte cynicam explicat, contra ep. 51. ab auctore ipso excogitata est.

Neque ep. 24. ab huius generis epistulis secernenda videtur. Quae cum ep. 23. comparanda est, in qua de eadem re agitur. Sed ep. 40. alii atque 24. auctori ascribere non dubito. Num hanc ep., quae brevissime — trium versuum est — convicium turpissimum Alexandro facit, ab eodem atque 40. ep., qua tam longae et languidae declamationes ad Alexandrum missae continentur, scriptam esse credemus? Accedit quod in ep. 40. fine Diogenes Alexandro scribit ἐρρῶσθαι δὲ ἢ χαίρειν οὐ θέμις μοι γράφειν. At ep. 24. in P quidem Διογένης Ἀλεξάνδρῳ χαίρειν inscribitur. Utrum autem ep. 40. atque ulla ceterarum epp. eidem scriptori tribuendae sint necne, mihi dubium est. —

Ut breviter quae disserui complectar, hoc fere modo epistulae Diogenis, si nihil nisi argumenta et dictionem earum spectamus, auctoribus diversis tribuendae esse videntur: ab eodem auctore epp. 8, 30, 31, 33, 35—38 conscriptae sunt, cui fortasse, quanquam de hac re aliquid certi erui non potest, epp. 3, 9—12, 21, 26, 44, 47 (et 34) debentur, alius epp. 13—18, 20, 22—25, 27, 32, 41—43, 46, 48—51 conscripsit, qui ab epp. 4 (et 1), 5, 7, 6 (et 2) auctore fortasse diversus est. Utrum autem epp. 39 et 40 ab alio atque ceterae confectae sint necne, diiudicari vix potest. Sed accedit in

[1]) In hac ep. Diogenes se ex Lacedaemoniorum urbe expulsum esse narrat, quod nobis nusquam traditum est. Ab auctore ipso fictum esse videtur. Boissonadius quidem (l. c. p. 181 sq.) epistolographum idem, quod de Pausania traditur (Plut. apophth. Lac. p. 230 F), per errorem de Diogene narrasse coniecit, (quoniam uterque de Lacedaemoniis idem dixisse fertur), quod sine dubio falsum est. Illo enim dicto Lacedaemonii sani praedicantur, in ep. propter morbum perstringuntur.

hac difficili quaestione indicium plane alius generis. Sunt enim tituli epistularum ea re diversi, quod in aliis nomini hominis, cui epistula mittitur, χαίρειν, in aliis εὖ πράττειν salutandi formula additur, in aliis talis formula omnino deest.[1]) Atque quanquam re vera hae salutandi formulae in solo codice P traditae sunt,[2]) tamen minime eas librario deberi putandum est. Neque eundem ep. scriptorem modo hac, modo illa salutandi formula usum esse credendum est, nam χαίρειν salutatio est popularis, εὖ πράττειν philosophica, a Platone, ut traditur, inventa[3]), quarum formularum usus tam constans est, ut eundem utraque formula usum esse vix credendum sit. Neque talis varietas in ceteris Graecorum epistulis ab Herchero editis invenitur[4]). Neque ita hoc explicandum esse videtur, ut

---

[1]) In ep. 28. Diogenes Graecos οἰμώζειν iubet.

[2]) Nam L ex V, V ex P transscriptus est, cf. supra p. 6.

[3]) Cf. Bernays, Lukian u. d. Kyniker p. 88, cf. etiam ep. Plat. 3. init. — Etiam Neoplatonici hac formula usi esse videntur, cf. e. g. Amelii ep.

[4]) Plurimarum epistularum tituli eandem formulam habent, ut e. g. Alciphronis (118) epp., Apollonii Tyanei (117, praeter 107 et 112, quae a regibus scribi finguntur), Aristaeneti (50), Bruti (70), Dionysii Antiocheni (85), Iuliani (78 praeter 35). Phalarid. (148), Philostrati (73), Procopii (163), Socraticorum (37), Synesii (159), Themistoclis (21), Theophyl. (85). — Chionis autem epistulae omnes (17) χαίρειν habent. — Sed exceptiones huius consensus in aliis epistulis esse videntur, cf. Alexandri regis, Aristotelis, Cratetis, Demosthenis, Heracliti, Hippocratis, Isocratis, Philippi, Platonis, Pythagoreorum epp. — At harum epistularum ratio alia est. Alexandri enim ep. 1, quae εὖ πράττειν inscribitur, Aristoteli est missa, qui huic epistulae in ep. 6. respondet. — Cratetis autem 35. epistulam a ceteris harum epistularum plane secernendam esse iam Marcksius (p. 19 l. c.) exposuit. — Demosthenis 5. Heracleodoro, Platonis discipulo (sic!) est missa (cf. § 3). — Heracliti 1. et 2. a diversis neque eisdem atque ceterae auctoribus scriptae sunt (cf. Bernays, die Heraklit. br. p. 110 sq.). — Inter Hippocratis epistulas (ad epp. 1. et 3. titulum cf. Bernays l. c. p. 118) re vera 6. tantum et 18. excipiendae sunt: cur 6, (sola), quae duorum tantum versuum est, ὑγιαίνειν habeat (nisi ab auctore ludente aut ab alio atque ceterae scripta est) nescio. (Ceterum sola ep. Demetrio cuidam inscribitur. Nam ep. 24. Demetrio regi missa ad alium auctorem est referenda. cf. Marcks l. c. p. 40.) — Ep. autem 18. a Democrito philosopho scripta est, itaque εὖ πρ. habet (altera huius philosophi (23.) propter verba περὶ φύσιος ἀνθρώπου salutandi formula inscribi non potuit). Ex Isocratis novem epp. 1. (quae genuina est) χαίρειν habet, ut invicem Philippi extrema tantum χαίρειν salutatione caret. Sed fortasse hae duae differentiae in initio s. fine epistularum collectionis librarii neglegentiae debentur. — Platonis 1—13 εὖ πρ. habent, reliquae, 14—18, quae in C. F. Hermanni editionis Platonis volumine VI inveniuntur, salutandi formula carent, sed has ab eodem atque 1—13 epp. scriptas esse non puto. (Ceterum ep. 14—16 non in Platonis librorum codicibus, sed inter epp. Socraticas (Hercher p. 626—7) traditae sunt. Certe epp. 17 et 18 non eiusdem atque 1—13 auctoris sunt. — Restant Pythagoreorum epp. Quarum 1—3, 6—10 salutatione carent, 4., 5., 11.,

Marcksius l. c. p. 47—48. putavit, ut Diogenes personatus consulto parentibus et Crateti, Metrocli, Monimo, Zenoni philosophis εὖ πράττειν, Aristippo, Anniceridi, Antipatro etc. χαίρειν scripserit. Nam primum cur in ep. 2. (Antistheni), 6. (Crateti), 7. (patri missis) εὖ πράττειν deest? Deinde cur Apolexidi, qui Diogenis amicus fingitur (cf. epp. 16 et 18), χαίρειν scribit [1])? Ceterum fortasse quispiam interrogaverit, cur Phaenylae, Phanomacho, Sopolidi εὖ πρ. scribat, de quibus ut philosophis in epp. 31, 33, 35 nihil legimus? — Quid quod Perdiccam in ep. 45, in qua eum vehementer increpat, εὖ πράττειν iubet [2])?

Quibus exemplis Marcksii sententia sine dubio refellitur. Itaque eundem scriptorem diversis salutandi formulis usum esse mihi negandum videtur. Quod si rectum est, his titulorum differentiis ex eis, quae de epistularum auctoribus disserui, non pauca confirmantur. Epp. enim 30, 31, 33, (34) 35—37 (39) ut 3, 9—12, (43) 44 (45) 47 εὖ πρ. inscribuntur [3]), epp. 13—24, 27, 32, 41, 42, 46, 48, 50, 51 χαίρειν (26. in P deest), epp. 1, 2, 4—7, 25, 29, 40 salutandi formula carent, in ep. 28. Diogenes Graecos οἰμώζειν iubet. Sed tamen si hoc observamus, in nonnullis, quae de auctoribus statui, aliquid immutandum est. Tum epistularum 8, 30, 31 etc. et 3, 9—12 etc. auctori (s. auctoribus), ep. 21 abiudicanda est (de ep. 26, quae in P deest, diiudicari nequit) et epistulis 13—24 etc. fortasse addenda est. Ex his autem epistulae 43. et 45., ut supra iam conieci (p. 22), excipiendae videntur. Ep. autem 25 alii atque ceteras huius generis (ep. 13 sq.) tribuere vereor, quanquam sine salutandi formula legitur, cum titulus in P oblitteratus esse videatur [4]). Utrum autem epp. 43. et 45. eidem atque 39. auctori tribuere liceat necne, mihi plane incertum est. Itaque hoc modo, si omnia indicia colligimus, epistulae inter auctores distribuendae videntur: ab eodem epp. 8, 30, 31, 33, 35—38 scriptae sunt, cui fortasse epp. 3, 9—12, (26), 44, 47 (et 34) debentur, ab alio epp. 13—18, 20 (21) 22—25, 27, 32, 41, 42, 46, 48—51, qui ab epistularum 1, 2, 4—7 scriptore

12. χαίρειν inscribuntur. Qua de differentia iudicium mihi non constat, sed vix hae epistulae omnes ab eodem auctore conscriptae sunt.

1) Ceterum complures alii homines, quibus epistulae huius generis mittuntur, Diogenis amici sine dubio finguntur, ut Melesippus (20.), Amynandrus (21.), Hippo (25.). Cur hos non εὖ πρ. iubet?

2) In altera ep. (5.) eidem missa salutandi formula deest.

3) Ep. 8. et 38. titulus in P oblitteratus est, omnino nomina eorum, quibus hae epistulae mittuntur, desunt.

4) Διογένης Ἵππωνι P, A V va vb la ha p Ἱππίωνι exhibent. Praeterea ep., quae sequitur, in P deest.

diversus esse videtur; epp. 19., 28., 29., 39., 40. ab aliis singulis auctoribus scriptae esse videntur, (Nisi 28. et 29. ab eodem, 39, 43, 45 ab alio conscriptae sunt).

Ceterum vix quisquam mirabitur, quod haec, quae de epistularum auctoribus statui, partim minime extra omnem dubitationem posita sunt, nam talem quaestionem plane ad liquidum perducere prorsus non possumus. Propterea autem in hanc rem accuratius inquisivi — quod alias operae pretium vix esset — ut id quidem demonstraretur epistulas Diogenis omnes eidem auctori tribui nullo pacto posse. Quod eis, qui alias epp. Graecas tractabunt, tenendum est.

Cap. II. De aetate.

Qua de re in universum Marcksius bene disputavit. Nam recte has epp. a Cynismi historia separari non posse putavit, quoniam ad Cynismum divulgandum conscriptae essent[1]). Exstitit igitur quaestio, utrum Cynismi antiqui an aetate imperatoria renati temporibus scriptae essent[2]). In nulla autem ep. indicium, quod ad Cynismi antiqui tempora referendum sit, invenitur. At contra aetate demum imperatoria epistulas exortas esse vestigia certissima sunt. Rectissime Marcksius ex vocabulis, quae aetate demum posteriore inveniuntur, huius rei argumentum petivit, qui multa vocabula, quae in his epistulis leguntur, non ante aetatem imperatoriam inveniri demonstravit. Quae verba minime in unius s. duorum auctorum epistulis, quos distinxi, sed in omnibus inveniuntur.

Haec de omnium epistularum aetate statuenda sunt, quibus ex quibusdam nonnulla argumenta addi possunt. De ep. 31. Boissonadii opinionem iam Marcksius correxit. In ea puerorum pancratium commemoratur, quod c. a. 200 a. Chr. institutum est. Epistulam igitur multo post scriptam esse Marcks recte exposuit. Itaque de eis quoque epistulis, quae eiusdem auctoris sunt (8, 30 etc.), hoc valet, certe saeculo post pancratium institutum eas scriptas esse. Est autem quaedam epistula, quae quanam aetate scripta sit, Marcksius (p. 14) optime cognovit, 19., Anaxilao Pytha-

---

1) Quanquam de multis harum epistularum sane dubitari potest, utrum ad Cynismum propagandum an rhetoricae exercitationis causa compositae sint, ut de epp. 1 (3) 4, 6—8, 11, 13, 17, 22, 23, 27, 34, 39, 40—43, 45, 46, 48—51. Sunt autem haud paucae magis minusve rhetorice scriptae, ut 1 (3) 4 (5) (6) (7) 10 (13) 14, 15, 17, 20, 22, 23, 27, 32, 34, 40, 45, 46, 49.

2) De Cynismi historia cf. Zellerum II 1⁴, 286 sq. III 1³, 763 sq., Bernays, Lukian u. d. Kyniker p. 26 sq., Marcks p. 13 sq.

goreo[1]), ut videtur, vivo, missa, qui a. 28 a. Chr. n. ab Augusto ex Italia expulsus est. Augusti igitur aetate scripta est. Sed haec a ceteris Diogenis epistulis segreganda videtur, nam ceterae fere omnes aequalibus Diogenis inscribuntur (praeter nonnullas, quae hominibus plane ignotis mittuntur (v. supra p. 7), et in quibus ratio inter Diogenem et eum, cui ep. mittitur, intercedens ab auctore est ficta, aut quarum argumenta ad homines, quibus inscribuntur, nullo modo spectant, cf. infra p. 63 ita ut nomina ab auctore, ut ipsi libuit, sine ulla ratione, inscripta esse appareat, nulla autem praeter hanc ad Augusti fere aequalem missa est[2]). Itaque ab eodem atque ceteras hanc epistulam scriptam esse vix credendum est[3]).

Restat epistula a Marcksio non commemorata, 16. Quae a Laertio Diogene (VI 23) laudatur (ut iam Boissonadius p. 131 sq. animadvertit). Qua de re dubitari nequit, nam Diogenem ab alio ut domum sibi compararet, petiisse auctor ipse excogitavit. Cum igitur Laertius praeter hanc nullam Diogenis epistulam nobis servatam norit, Boissonadius (p. 136) illam periodum apud Laertium interpolatam esse coniecit. Quod vix sibi quisquam persuadebit. Aliter hoc explicandum videtur: Laertius, qui nihil de suo addens in Cynicorum vitis auctores, qui epistulas, quas nos habemus, vel ignorabant vel consulto neglegebant, sine iudicio compilavit, vel potius is auctor, [4]) quem hoc loco sequitur, epistulam in alia epistularum collectione [5]) atque quas nos habemus, legit. Id quidem ex Laertii loco sequitur, ut illius temporibus, i. e. fine s. II. seu initio s. III p. Chr. n. epistula lecta sit. Hoc igitur de ceteris eiusdem auctoris

---

[1]) Ceterum iam Boissonadio (p. 171) huius Pythagorei in mentem venerat, sed ipse de alio Anaxilao cogitandum esse putaverat.

[2]) Nam quae Marcks de quibusdam aliis hominibus, quibus epistulae mittuntur, coniecit (p. 15, 2), ut ipse dixit, plane incerta sunt. Omnino de his aliquid conicere inutile est, quoniam de ipsis in epistulis nihil legimus.

[3]) Auctorem autem Cynicum esse vel sub Cynici nomine scribere ex eis, quae de baculo, duplici pallio, pera dicuntur, apparet. Diogenis autem ipsius sub nomine eum scribere velle inde concludendum est, quod se cum Pythagora comparat. Epistulae igitur auctor aut aequalem irridet aut de Anaxilao quidem audivit, sed non, quo tempore ille fuerit, compertum habuit. Illud sine dubio multo verisimilius est. Itaque epistulam s. I. a. Chr. scriptam esse puto. Ceterarum nulla cum hac artiore vinculo coniuncta est, quanquam eae, quibus Diogenes in alios philosophos invehitur, affinitatem quandam habent. Sed non obliviscendum est, eas contra philosophos, qui Diogenis temporibus fuerunt, scriptas esse.

[4]) Nam primum credi non potest, Laertium hanc epistulam ex sua scientia afferre, deinde haec apud Laertium narratio de Diogenis dolio cum eis, quae de Diogenis simplici vita apud hunc scriptorem antecedunt, cohaeret.

[5]) Collectionem epistularum Laertium cognitam habuisse ex verbis (ὡς καὶ αὐτὸς) ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς διασαφεῖ apparet.

epp. (13, 18 etc.) affirmare licet. — Ut haec pauca, quae de epistularum aetate erui posse videantur, complectar, primo s. secundo p. Chr. n. saeculo plurimae epistulae Diogenis scriptae sunt, nisi forte nonnullae paulo ante, i. e. primo ante Chr. n. saeculo exortae sunt. Nam diversis temporibus quamvis non multum distantibus eas scriptas esse is, qui ea, quae de earum auctoribus disserui, probaverit, concedet. [1]) Quo autem tempore recentissimae earum Diogenis epistularum, quas nos habemus, conscriptae sint, diiudicari non potest, sed etiam post s. II p. Chr. nonnullas scriptas esse veri simile est. E. g. eae, quarum auctores sententiis Platonicis utuntur, fortasse etiam post Cynismi finem s. IV p. Chr. factum scriptae sunt, quia eis temporibus, quibus Cynicorum doctrina vigebat, vix ullus homo sententias adeo cum Cynicorum doctrina pugnantes sub Diogenis Cynici nomine vendidisset. —

Cap. III. De fontibus.

Nunc, ut de fontibus iudicare possimus, quibus epistularum auctores usi sint, in singulas epp. accuratius inquiramus. Sed antea eas, quae prorsus nullius pretii nobis sunt, secludam. Sunt hae epp. 1—4, 6, 8, 11, 13—18, (20) 22—25, 27, (32), 39, 40, 41—43, 45, 46, 48—51. [2]) In reliquis autem ita progrediar, ut primum eas epistulas, quibus praecepta de vita et moribus continentur, deinde eas,

---

[1]) Si conicere licet, epistulae 30, 31 etc. et 3, 9—12 etc. antiquiores, epistulae 13—24 etc. recentiores esse videntur.

[2]) Ad ep. 1. cf. Diog. Laert. VI 49, Plut. de exil. p. 602, ubi illud dictum amplificatum est. — Ad. 2. ep. D. L. VI 45 et 61. — Ep. 3 ab auctore ipso excogitata est; ad ep. 4 cf. D. L. VI 66 et 57; ad ep. 8. cf. Plut. Timol. 15 (brevius in libello, qui inscribitur „An seni respublica gerenda sit" c. 1. idem enarrat). Cic. Tusc. III 12 (ad fam. IX 18). — Ep. 17. quanquam alii atque 3. tribuenda est, tamen quae in illa leguntur per se cum eis, quae in ep. 3. exponuntur, non pugnant — Marcks p. 9/10 in hanc rem non accuratius inquisivit — in ep. enim 3. Hipparchia, ut saepe Diogeni scribat, admonetur, hic autem Antalcides, quod ad Diogenem scripturus est, vituperatur. Sed interest aliquantum inter epistulas. Nam non propterea, quod Diogeni scribere vult, ille vituperatur, sed quod scripto suo (περὶ ἀρετῆς) virtutem suam ostendere vult. Ceterum in hac epistula comparationem cum Helena — si comparationem vocare licet — cum Webero (Lpzgr. stud. X 148/9) ita interpretandam esse, ut verbum φάρμακα vi translata usurpatum esse putemus, veri plane dissimile est. Auctor Helenam vituperat, quod medicamentum non sine vino dedisset, Antalcidam autem, quod virtutem suam non agendo praestitisset, sed libro ostendere vellet. Hanc comparationem ineptam esse apparet. Fortasse epistolographus dicto quodam male usus est, cuius auctor Helenam medicamentum sine blandimento dare oportuisse censuerat, ut Cynici doctrinam suam omni fuco destitutam divulgabant.

quibus vita cynica defenditur, tum illas, quibus Diogenes in alios homines invehitur, postremo eas, quibus narrationes longiores referuntur, examinemus.

Epistulae παραινετικαί.

Cum epistulis, quibus adhortationes continentur, ep. 5. coniungere liceat. In ea Diogenes invitationem Perdiccae abnuit atque ei scribit, si iam cum opinionibus bellum gereret, hostibus, qui ei plus Thracibus et Paeonibus nocerent, ad se mitteret, ut hominum affectus vinceret. — Notum igitur est, Cynicos bellum contra opiniones (δόξας „die vorurteile der menschen") profiteri solitos esse. [1]) Ceterum talis vel similis sententiae forma dé Diogene contra opiniones (vel affectus) [ducente (cf. στρατηγεῖν in ep.) auctori tradita fuisse videtur. Cf. Luc. Vit. auct. 8, ubi Diogenes (se cum Hercule comparans) profitetur στρατεύομαι δὲ ὥσπερ ἐκεῖνος ἐπὶ τὰς ἡδονάς.

Ex epistulis igitur, quibus Diogenes alios homines adhortatur, eas, quae cum Dione affinitatem quandam habent, postea, cum rationem inter eum et epistulas intercedentem tractabo, accuratius examinabo. Restant epp. 9, 21, 26, 47. — In ep. 9. [2]) quae legimus, ex Cynicorum doctrina sunt. — συνασκήσεως: ἄσκησις Cynicorum nota est, cf. etiam ep. 12. fin., 27; Crat. ep. 12. et 19. — ἔνθα μή εἰσιν ὅμοιοι: fortasse hoc quoque ex Cynicorum doctrina repetendum est. Antisthenes sapientem φίλον τῷ ὁμοίῳ esse docuit (cf. D. L. VI 105), cf. etiam quae Hense Tel. LXXIII de voce ὅμοιοι disputavit. [3]) Ceterum animadvertendum est, auctorem, si in hac ep. conscribenda nihil nisi illud Cratetis factum (et dictum) adhibuit, epistulam liberrime, sed non pessime finxisse. — Ep. 21. sic incipit Γονεῦσι χάριτας

---

1) Cf. sententiam eorum de δόξῃ ep. 6. fin., 7. 9. 10, 2 (Weber l. c. 178), 28, 2 ἔνδοξα; 34. init. et § 3., 37, 3. 40, 1; Crat. ep. 8. 16. 29; Diogenem apud Dionem de Hercule cynico ἡγεῖτο γὰρ οὐχ ἧττον αὐτῷ διαμαχητέον εἶναι καὶ πολεμητέον πρὸς τὴν δόξαν ἢ τὰ θηρία . . ., § 33 Προμηθέα σοφιστήν τινα . . . καταλαβὼν ὑπὸ δόξης ἀπολλύμενον, IV 77 de Alexandro cum Diogene congresso εἴ πως δύναιτο κινηθεὶς ἀπὸ τοῦ τύφου καὶ τῆς δόξης μικρόν τι ἀνανῆψαι. Adde Bion. ap. Tel. p. 6, 7 H., Iul. VI 193 d, Epict. m. 5., 16., fr. 6., 38., 40., diss. I 11, 33—35., 25, 28; II 16, 24; Ceb. VI 2, XIV 3 P. (Zeller II 1 [4], 303, 2).

2) Difficultatem quandam in illo dicto genitivus Κράτητος praebet, quem cum Boissonadio (p. 164/5) ut patris nomen intellegendum esse persuadere mihi non possum. An ab ἐλεύθερος pendet, ita ut significet; „Crates a se ipso Cratetem liberat"? i. e. Crates se a priore Cratete (qualis antea fuerat), quem δόξαι et πάθη vinctum habebant, liberat? In dicto genitivus Κράτητος primitus non fuisse videtur.

3) Laertius ut Bionis sententiam affert τοὺς φίλους, ὁποῖοι ἂν ὦσι, συντηρεῖν (amicos, qualescunque essent, conservandos esse), ἵνα μὴ δοκοίημεν πονηροῖς κεχρῆσθαι ἢ χρηστοὺς παρῃτῆσθαι. — Omnia apud Laertium recte se habent. Si pro ὁποῖοι ὅμοιοι legitur, omnino enuntiatum omni sensu caret.

οὐχ ἑκτέον οὔτε τοῦ γενέσθαι, ἐπεὶ φύσει γέγονε τὰ ὄντα, οὔτε τῆς ποιότητος· ἡ γὰρ τῶν στοιχείων σύγκρασις αἰτία ταύτης, quibuscum Boissonadius optime Alciphronis locum (III 40) composuit, ubi Philometor cum Philiso conqueritur, quod filius subito Cynicus factus esset, imprimis cf. verba ἡμᾶς οὐκ εἰδὼς τοὺς γονεῖς, ἀλλ' ἀπαρνούμενος, φύσει λέγων γεγονέναι τὰ πάντα καὶ τὴν τῶν στοιχείων σύγκρασιν αἰτίαν εἶναι γενέσεως, οὐχὶ τοὺς πατέρας. Talis consensus, cum Alciphronem epistulas cognitas habuisse probari non possit, [1]) nullo modo explicari potest, nisi quod utrumque auctorem ad eundem fontem redire censemus. Ex quali autem fonte epistolographus hauserit, incertum est. Haud scio an uterque ex scripto quodam Cynici (antiqui??) hauserit. Auctor igitur pergit, propter nullum consilium aut voluntatem (parentibus) gratiam habendam essē, ἡ γὰρ γένεσις ἀφροδισίων ἐστι παρακολούθημα, ἅπερ ἡδονῆς ἕνεκεν, οὐ γενέσεως ἐπιτηδεύεται; hoc quoque sine dubio ex Cynicorum doctrina (fortasse Diogenis ipsius) est. — Has voces ὁ τῆς ἀπαθείας [2]) προφήτης ἐγὼ ἀποφθέγγομαι ἐναντίας τῷ τετυφωμένῳ βίῳ κ. τ. λ. Verba τῦφος, τετυφωμένος, ἀλήθεια, φύσις, ἀρετή Cynicorum quasi tesseras fuisse notum est atque exemplis aliunde petitis demonstrare non opus est. — Cum epistula 26. cf. Luc. Vit. auct. 8, ubi plane eadem Cynici cum Hercule comparatio invenitur, ita ut fortasse utrumque auctorem ad eundem fontem redire putandum sit. Sed quod Diogenes personatus in epistula de pera dicit, auctor epistulae ipse excogitavit (certe, si ea ex fonte quodam hausit, ita ut ineptam sententiam redderet, depravavit). Cf. ep. 22. — Cum ep. 47, quae ex Cynicorum sententia scripta est, conferas quaeso quod Epictetus in diss. III 22, 67 sq. exponit. Βίος ἄγαμος et ἄοικος Diogenis (etiam Antisthenis) saepius laudatur. Cf. etiam Luc. Vit. auct. 9, versus apud D. L. VI 38 (ἄπολις, ἄοικος). Ceterum in epistula contra Stoicorum doctrinam pugnatur, quam Musonius quoque sequitur, qui quanquam in multis Cynicus est, tamen in multis utpote Stoicus ab illorum doctrina recedit. (Cf. eum ap. St. fl. III p. 3 M.). In fine ep. auctor verbis Platonicis utitur.

Epistulae, quibus vita cynica defenditur, 7. et 34.

Sequuntur epistulae, in quibus vita cynica defenditur, 7. et 34. In illa Diogenes se apud patrem de habitu et nomine suo cynico purgat „Ne aegre feras, pater, quod canis appellor talique habitu

[1]) Wilamowitzius Alciphronem ex ep. Diogenis sua hausisse putat. Quod si rectum est, epistula certe ante saeculum III p. Chr. scripta est.

[2]) Dubitari potest, an rectius ἀληθείας scribatur (etsi ἀπάθειαν Cynicorum virtutem fuisse notum est), quod sensui optime responderet. Nam has sententias adversas τῷ τετυφωμένῳ βίῳ pronuntiat, quas φύσις σὺν ἀληθείᾳ confirmat Cf. quod Diogenes ipse apud Lucianum (Vit. auct. 8) se ἀληθείας προφήτην esse velle profitetur.

utor — talibus enim magis gaudendum quam dolendum est—nomen enim praeterquam quod cum rebus non coaluit, symbolum esse gloriosum est. (i. e. praeterquam quod nomina non res ipsae sunt, [1]) hoc loco: praeterquam quod canis verus non sum, hoc (canis) nomine symbolo uti gloriosum est). Canis enim appellor caelestis, quia ei similis sum". — Hoc nomine brevi post mortem Diogenes a Cercida poeta aequali celebratus erat[2]). Quo inepte epistolographus usus est, cum scripsit καλοῦμαι γὰρ κύων ὁ οὐρανοῦ, ὅτι ἐκείνῳ ἔοικα ζῶν οὐ κατὰ δόξαν, ἀλλὰ κατὰ φύσιν: canis appellor caeli, quod illi similis sum, cum non secundum opinionem, sed secundum naturam vivam! — Quod in epistulae initio Diogenes se paucis egere gloriatur, αὐτάρκειαν Cynicorum in memoriam revocat. Cum verbis ἐλεύθερος δέ ἐστι δόξης, ᾗ πάντες δουλεύουσιν Ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι cf. Dionis VI 34 de Diogene verba ἀλλὰ μόνος δὴ τῶν ἁπάντων ἐλεύθερός ἐστι (cf. etiam IX 12 fin.).

Explicare iuvat illud ἐλεύθερος ὑπὸ τὸν Δία, quod Marcksius (p. 15 l. c.) a Romanis desumptum esse coniecit, ita ut translatio verborum „sub Jove" (unter freiem himmel) esset. Sed quanquam Cynicorum necnon Diogenis[3]) consuetudo vitam ὑπαιθρίαν agere fuit, explicatio verborum falsa est. Quod vel ex altero loco (ep. 34, 3) intellegitur, ubi ἐ. ὑ. τ. Δ. πατέρα legitur. Significat hic ὑπό praepositio rationem inter dominum et ministrum (vel servum) intercedentem, ut apud Herodotum III 108 ἦν ὑπὸ βασιλέα, Xenophontem Cyr. III 3, 6 τῶν ὑφ' ἑαυτούς, VIII 8, οἱ ὑπ' αὐτοὺς (plura exempla huius usus praepositionis ὑπό videsis in lexico Passov. p. 2111 a, c.). Est autem haec fomula ἐ. ὑ. τ. Δ. vere et sincere cynica: ab omnibus Cynicus liber est, nemini servit, solus Juppiter, qui ab eo unus deus habetur, eius dominus et pater est. Cf. Epict. III 22 (περ. κυνισμ.) 56 Κυνικῷ δὲ καῖσαρ τίς ἐστιν ἢ ἀνθύπατος ἄλλος ἢ ὁ καταπεπομφὼς αὐτὸν καὶ ᾧ λατρεύει ὁ Ζεύς; cf. ibid. 82 et 95; III 24, 65. — Ceterum hanc formulam, quam in epistula quoque 34, 3, sed

---

1) Fortasse adnotare licet, iam Gorgiam (Zeller I 2[5], 1103) et Antisthenem, qui eum audivit, talia sensisse. (cf. Zeller II 1[4], 294/5, 294, 1). Auctor autem epistulae τὸ — ὄνομα — σύμβολον esse ex traditione scholarum philosophorum communi accepit. Cf. etiam Aristot. de sensibus et sensibil. 437 a 12 sq. (ὁ λόγος scil.) ἐξ ὀνομάτων γὰρ σύγκειται· τῶν δὲ ὀνομάτων ἕκαστον σύμβολόν ἐστιν.

2) Fr. 2. — Nomen epistolographum ex Cercidae carmine ipso desumpsisse vix credendum est; in Diogenis vitis hoc traditum fuit. — Ceteros auctores hoc nomen commemorantes vide apud Bernaysium, Lukian u. d. Kyn. adn. 12, cf. etiam Norden in Fleckeis. annal. suppl. 19, 380, 1.

3) e. g. αἰθεριβόσκας Diogenes apud Cercidam audit, ἀερίοικοι apud Eubulidem comicum poetam (Ath. III 80 p. 113 e) Cynici, ut Menagius ad Diog. Laert. VI 76 (cf. ad 54) adnotat.

nullo alio loco invenimus, ex antiquiore fonte desumptam esse verisimile est. — Bonum in se ipso, non in proximo quaerit (εἰς αὑτὸν cum Wilamowitzio ap. Schafstaedt p. 33, 1 scribendum): hoc quoque cynicum est. [1]) Cf. ep. 32, 2; Crat. ep. 19 de Diogene τὸν ἐφ' αὑτῷ θαρροῦντα, Muson. ap. St. fl. II 70, 29 M, Themist. in oratione in mus. Rhen. 27, 447, 29 edita; Epict. m. 48, 1; diss. I 29, 4. II 5, 5, ep. Socr. VI 6, Ceb. 23, 4 fin., Sen. ep. IX 3 „Illud nobis et illis commune est: sapientem se ipso esse contentum“ — illi autem sunt Stilbo et ii, „quibus summum bonum visum est animus impatiens“ [2]) (ἀπάθεια): Cynici. (Iul. VI 192 A de Cynicis ἀπάθειαν γὰρ ἡγοῦνται τὸ τέλος, cf. Zeller II 1 [4], 304.). Habitum igitur cynicum Diogenes Ulixis exemplo defendit, quod ab auctore non ipso excogitatum est. Iam Antisthenes Ulixem Odysseae „ὡς σοφὸν ὄντα“ ab omnibus probris defendere studuerat, cf. reliquias illius mirae interpretationis in schol. Od. (ad α 1, ε 211, η 257, ι 5 et 525). Postea vero Ulixes Cynicis exemplum viri probi factus est. Eratosthenes Bionem in plurimis Cynicum cum Ulixe mendico comparaverat (cf. Wachsmuth, Corpusc. poes. ep. lud. II [2] p. 74/5). Bio autem ipse Ulixem exemplar probi viri proposuerat, qui et mendica et regia veste indutus personam a Fortuna sibi tributam concinne gereret. [3]) (Hense, Tel. XCV—VI). Deinde haec comparatio saepius a Cynicis usurpata est, [4]) cf. ep. 34, 3; Varr. sat. Men. fr. 469 B., qui hanc comparationem ex fonte Graeco desumpsit, Dion. IX 9 (Diog. cum Ulixe comparatur ut ap. Varr.) praeterea Max. Tyr. 21, 9; adde de Dione tanquam Cynico Philostrati locum apud Weberum p. 220. — Complures igitur Homeri versus Diogenes personatus affert (ν 434 sq. [5])) quod sophisticum esse Boissonadius (p. 153 et 155) recte quidem dixit, attamen ne a Cynicorum quidem more abhorret. Qui cum

---

1) Ceterum non solum Cynici hoc docebant.

2) Sen. ep. IX, 1.

3) Cf. etiam Horatii locum (epist. I 17, 13 sq.) iam supra allatum, qui et Hensium et Heinzium, cum de Bione, quem Horatius hoc loco sequitur, agerent, fugisse videtur.

4) De Ulixe Stoicorum exemplari cf. e. g. Senecae dial. II 2, 1; Epict. III 26, 33/4; Hor. epist. I 2, 17 sq. (Zeller III 1 [3], 334 sq., Norden l. c. p. 394, 1.)

5) Ad quos adnotandum est, pro primo versu in codicibus Homeri, quibus nos utimur, alium, aliquanto diversum, pro verbo ῥωγάλεα secundi λευγάλεα legi. Nauckius quidem in adn. crit. editionis suae (Odysseae) lectionem epistulae attulit: equidem auctorem memoria deceptum versus non accurate attulisse censeo. (Prius hemistichium = π 173, ubi Minerva Ulixi formam genuinam reddit, alterum = ζ 214 praeter ἔθηκαν pro ἔδωκε). Alia Homeri editione atque nos epistolographum usum esse nullo pacto credendum est. Itaque epistulae lectionem nihili aestimandam esse apparet.

aliorum poetarum tum Homeri versus laudare et usurpare solebant, (cf. Wachsmuth l. c. p. 69, 3, adde Diogenem ipsum in ep. Crat. 34, 3). — Ceterum etiam sophistica ratione Cynicos disputasse infra videbimus.

Nunc quae in ep. 34. praeter ea, de quibus supra (p. 10) dixi, animadversione digna videantur, breviter deligam. Pallio indutum ab hominibus stipem cogere arma eorum esse, qui contra opiniones vita[1]) pugnarent (quibus plerique homines serviunt § 3, cf. ad ep. 7,1 p. 22, adde Iul. II 196 C.) Plane eandem sententiam in ep. 10 legimus, qui consensus aut ex eodem fonte aut auctore repetendus esse videtur. — Ex exemplis, quae Diogenes ad cynicum habitum laudandum affert, illud Iunonis cum versibus ex Aeschyli Xantriis allatum (fr. 162 N)[2]) eodem quo in epistula consilio usurpatum alibi non invenietur. Deinde Telephi exemplo utitur atque ex fabula Euripidea, quae illius nomine inscribitur, versus laudat[3]). (fr. 698 N.) Has comparationes ad Diogenem ipsum redire non est cur negemus, praesertim cum auctorem hos poetarum versus, qui tam raro afferuntur, non ex tragoediis ipsis, sed ex scriptore posteriore desumpsisse putandum sit. Telephus igitur eodem quo Ulixes modo a Cynicis saepius laudatus esse videtur. Bionem hunc heroem eodem atque Ulixem consilio exemplar proposuisse verisimile est. (Cf. Hense, Tel. (XCV—VI.) Cf. quod Diogenes Laertius VI 87 (Antisthene ἐν διαδοχαῖς auctore) Cratetem, cum Telephum in Euripidis fabula mendici veste indutum aspexisset, vitae cynicae se addixisse refert. Quae historiola ex illa vel simili comparatione exorta esse videtur. — In fine epistulae Diogenes dicit, se talem vitam selegisse, ut beatitudinem assequeretur. ἵνα τύχω μὲν εὐδαιμονίας — διαφύγω δὲ νόσους[4]) καὶ τοὺς ἐπ' ἀγορᾶς συκοφάντας, περιέλθω δὲ ἐλεύθερος ὑπὸ τ. Δ. π. ἐπὶ ὅλης γῆς, μηδένα φοβούμενος τῶν μεγάλων δεσποτῶν, quibuscum conferas Maximi Tyrii locum diss. 36 p. 143, 11 (edit. Didot) de Diogene περιῄει τὴν γῆν ἄφετος — οὐ τύραννον δεδιώς — ἀπείχοντο δὲ αὐτοῦ καὶ οἱ σύκοφάνται (p. 143, 44). Praeterea de cynico habitu § 2 ep. legimus — παντὶ νοῦν ἔχοντι αἱρετὰ εἰς εὐτέλειαν,

---

1) κατὰ δοξῶν (δοξουν P) τῶν πολεμούντων τῷ βίῳ (Schafst. ci. κατὰ δοξῶν πολεμούντων τῷ βίῳ, Wil. κατὰ δοξῶν πολεμοῦντι βίῳ).

2) Ceterum hoc fragmentum non ex Platonis Republica II 381 d desumptum esse inde apparet, quod in epistula amplius quam ap. Plat. legitur (verba νύμφαις — θεαῖς ap. Plat. omnino desunt).

3) Qui alibi nobis non servati sunt.

4) Maximus p. 143, 44 Diogenem sanum et validum (ὑγιεινός τε ἦν καὶ ἰσχυρός) cum dicit, Dionem VI 8 sequi videtur. Ceterum Diogenis sanitatem Epictetus quoque praedicat.

Maximus de Diogenis vita dicit (p. 143, 53) ὃν οἱ νοῦν ἔχοντες θαυμάζουσιν. Hic consensus casui tribui non potest. Etsi epistolographus et Maximus non ex eodem scriptore pendent, tamen talia de Diogene eis tradita fuisse apparet. [1])

Ad ep. 28. transeamus. Cuius auctorem Iudaeum vel Christianum fuisse Bernaysius (L. u. d. K. p. 36 et 96—98) detexisse sibi visus est. Quam opinionem quoniam iam Norden (l. c. 19, 395 sq.) refutavit, eam tantum Bernaysii sententiam, auctorem Heracliteis sententiis usum esse refellere studebo. Illo igitur Heracliti de Ephesiis dicto (cf. ep. Diog. § 6) nullam Heraclitei operis notitiam demonstrari Bernaysius alio loco (Heraklit. br. p. 20) ipse dicit. Ceterum auctor ep. id non Heraclito, sed Socrati tribuit. ὄντες ταῖς μὲν ὄψεσιν ἄνθρωποι, ταῖς δὲ ψυχαῖς πίθηκοι προσποιεῖσθε μὲν πάντα, γινώσκετε δὲ οὐδέν plane diversum est ab Heracliti (fr. 98 B) ἀνθρώπων ὁ σοφώτατος πρὸς θεὸν πίθηκος φανεῖται: illud significat „vos omnia sine iudicio assumitis (s. simulatis)", at hoc „etiam sapientissimus homo cum deo comparatus nihil nisi imitator videbitur. — τοιγάρτοι τιμωρεῖται ὑμᾶς ἡ φύσις· νόμους γὰρ ὑμῖν αὐτοῖς μηχανησάμενοι μέγιστον καὶ πλεῖστον τῦφον ἐξ αὐτῶν διεκληρώσασθε μάρτυρας τῆς ἐμπεφυσιωμένης κακίας λαβόντες differt ab Heracliti (p. 64, 28 B) νόμον μὲν ἄνθρωποι ἔθεσαν αὐτοὶ ἑωυτοῖσιν οὐ γινώσκοντες περὶ ὧν ἔθεσαν: illud significare videtur: „ex legibus, quas vobis statuistis, summum errorem cepistis, quia (scil. vobis necopinantibus) malitia vobis insita legibus vestris statuendis interfuit. Qua re natura vestra, quae mala est, vos punit, Heracliti: legem homines sibi ipsi statuerunt, non cognoscentes, de qualibus rebus statuerent. — In medicos autem invehi ne a Cynicorum quidem more abhorrere iam Norden (l. c. p. 396—7) demonstravit. Itaque epistolographum Heracliteis sententiis usum esse mihi negandum videtur, accuratius autem Bernaysii sententiam refutare studui, quia Weber (p. 153, 3 l. c.) de necessitudine aliqua inter Diogenem discipulum Antisthenis, quippe qui Heraclito saepius usus esset, et Heraclitum intercedente cogitavit, quod vel per se vix veri simile videtur. Norden autem, quem saepius laudavi, ep. mere cynicam esse l. c. in universum demonstravit, quod singulis locis illustrare operae pretium esse videtur. Primum igitur illud ὁ καλούμενος tam saepe usurpatum mirum est, quod tamen ex Cynicorum doctrina explicandum esse puto. Cynici enim multis voca-

Epistulae, quibus Diogenes in alios homines invehitur a) ep. 28.

[1]) Etiam illud de Diogene περιῄει τὴν γῆν ἄφετος (Max.) — περιέλθω δὲ ἐλεύθερος — ἐπὶ ὅλης γῆς (ep.) inepte dictum et primitus de Hercule (cf. Dion. I 59—63), ut videtur, usurpatum, suspicionem quandam movere potest. Wil. verba ἐπὶ ὅλης γῆς cum verbis μηδένα φοβούμενος coniungenda esse putat.

bulis aliam atque ceteri mortales vim supposuerunt. [1]) Ita servum eum nominabant, qui timeret, divitem eum, qui αὐτάρκης esset, [2]) sic pauperem divitem appellabant. Hac ratione Graecos epistolographus Graecos qui vocantur appellat in initio et in fine ep., ubi eos veros Graecos esse negat, immo barbaros esse contendit (barbaros autem barbaros qui vocantur nominat). Sic § 2 ἐν καλουμένῃ εἰρήνῃ dicit, quoniam homines vitam totam bella inter se gerunt et rixas movent. — § 7 καλούμενοι ἰατροί, cf. οὓς ὑμεῖς καλεῖτε ἰατρούς: Cynicos se ipsos solos veros medicos putasse notum est. — § 3 τὰ κ. μουσικά dicit, nam artibus liberalibus studere Cynici τῦφον esse putabant. Contra τὰ καλούμενα Ἕρμαια ἢ Παναθήναια minus apte dicit, quia hos festos dies esse negat. Ceterum verbum Παναθήναια hoc loco non aptum esse Wilamowitzius putat, qui post illud lacunam statuit, in qua scripta fuerint, quae in gymnasio fieri solent, tum ὅταν δ' ᾖ Διονύσια ἢ ante vocem Παναθήναια supplet. — Ceterum cf. ad hunc dicendi usum [Luc.] Cyn. 19 τῶν καλουμένων εὐδαιμόνων, Dion. IV 98 κ. βασιλέων (XXX 18 τῆς εὐδαιμονίας κ.) XXX 28 τῶν εὐδαιμόνων τε καὶ πλουσίων κ. Nunc quaenam probra auctor Graecis faciat, videamus. Primum igitur eorum ignorantiam et stultitiam (ἄγνοιαν et ἀφροσύνην) castigat, quod Cynicorum consuetudini respondet. Cf. Luciani dialogum, in quo sine dubio color Menippeus inest, Charontem (c. 21), adde Dion. VIII 8, IX 9; [Luc.] Cyn. 18 init.; cf. Dion. IV 58. Id quoque, quod auctor eos ex legibus testibus insitae malitiae summum errorem cepisse dicit, ex doctrina Cynicorum repetendum est, qui omnes leges, quas homines sibi constituerant, condemnabant. — Simul invidiam Graecorum Diogenes personatus vituperat, quod Cynici facere solebant. Cf. Crat. ep. 7 fin., (ep. Hippocr. 17, 54—5) Epict. III 22, 61; Tel. p. 43, 10 H. [3]) Nunquam eos pacem agere, sed totam vitam bellum gerere dicit, cf. ep. Hippocr. 17, 28 [4]) πολεμέουσιν μὲν ἔμφυλα, ἠρεμίην οὐχ αἱρετίζουσιν, § 42 οἱ δ' ἀλλήλοισιν ἀντεπιτίθενται, § 29 φιλονικέοντες ἔχθρῃ πρὸς ἀλλήλους δῆριν ἔχουσιν μετὰ ἀδελφέων καὶ τοκήων καὶ πολιητέων καὶ ταῦτα ὑπὲρ τούτων, ὧν οὐδὲ εἷς θανὼν δεσπότης ἐστί, ἀλληλοκτονοῦντες (hoc vocabulum etiam in ep. 39. Diogenis fine usurpatur: ἀλληλοκτονίαι), Dion. VI 34, Max. Tyr. 36 p. 144, 41 εἰρήνην δὲ ἄγειν μὴ δυνάμενοι. — Paululum gaudere, multum

---

1) Qua de re cf. Weber p. 138/9.

2) Similiter Stoici, cf. e. g. Cic. Parad. VI.

3) Cynicus autem ipse nemini invidet, cf. Antisth. ap. Xen. conv. IV 43, Diog. et Crat. ap. Luc. dial. mort. XI 3.

4) Quam Heinzius in dissertatione (de Horatio Bionis imitatore Bonn. 1889) p. 15 ut luculentissimum exemplum cynismi primi p. Chr. n. saeculi adhibuit, quod Rh. M. 45, 504 adn. 1. accuratius demonstravit.

lugere eos Diogenes dicit, quod miseri essent atque morosi. Plerique enim (οἱ πολλοὶ) semper ἐν λύπῃ, Cynicus autem ipse ἄλυπος est. [1]) (cf. Epict. III 22, 48; Max. Tyr. III 9 l. 27 et 37). Itaque in fine epistulae de se dicit, πλεῖον δ' ἔμοιγε πάρεστι τὸ εὐφραίνεσθαι τοῦ λυπεῖσθαι. — Tum Graecos increpat, quod tot homines occidissent, [2]) quos si iniusti fuissent, non occidere, sed educare (παιδεύειν) et hoc modo meliores facere oportuisset. Quae sententia quamvis mira sit, a Cynicorum doctrina tamen non abhorrere videtur. Qui cum in aliis rebus, tum in eo Socratici erant, quod virtutem doceri posse, malitiam ignorantiam (ἀμαθίαν) esse censebant. (Zeller II 1 [4], 312—3; Schmekel, philosophie d. mittl. stoa p. 468—9; D. L. VI 10 et 105.) Dummodo homo quid bonum et quid malum esset, doceretur, eum bonum futurum esse sperabant. — § 4 in fine (cf. § 5 fin.) Diogenes Graecis vitia turpissima lingua liberrima exprobat, ut verum Cynicum decet. — Ad § 5 ἡ δὲ φύσις πάντας ὑμᾶς τιμωρεῖται ὁμοίως γὰρ πᾶσιν ὑμῖν θάνατος ἐπικρέμαται, ὃν ὑμεῖς φοβεῖσθε cf. quae Demetrius Cynicus Neroni respondit (Epict. I 25, 22 [3])) ἀπειλεῖς μοι θάνατον, σοὶ δὲ ἡ φύσις. — Diogenes personatus pergit, saepe se pauperes penuria sanos, divites propter incontinentiam aegros vidisse, cf. Cyn. 9 fin., Muson. ap. St. fl. I 229, 28 sq., Diogenem ipsum ibidem I 145, 4 sq., Dion. VI 8, imprimis Luciani dialogum Gallum, in quo multa egregie cynica (vel accuratius Menippea) insunt, 23: . . . τῇ βελτίστῃ πενίᾳ προσφιλοσοφῶν, ὥστε διὰ ταῦτα ὑγιαίνεις τε καὶ ἔρρωσαι τὸ σῶμα . . . . οἱ δὲ ὑπ' ἀκρασίας ἄθλιοι τί τῶν κακῶν οὐκ ἔχουσιν; ποδάγρας καὶ φθόας καὶ περιπνευμονίας καὶ ὑδέρους· ταῦτα γὰρ τῶν πολυτελῶν δείπνων ἀπόγονα. Incontinentia Graecorum perstricta Diogenes dicit, si mentem haberent, quam non haberent, nisi forte ebrii essent, Socrati sibique parentes aut cum commune consilium convenisset, omnes (qui puberes essent) sani esse discerent aut se suspenderent: οὐ γὰρ δυνατὸν εἶναι ἄλλως ἐν τῷ ζῆν, εἰ μὴ θέλετε ὥσπερ ἐν συμποσίῳ, ἕως ἂν ὑπερπιόντες καὶ ὑπερμεθυσθέντες ὑπ' ἰλίγγων καὶ στρόφων συνεχόμενοι ὑφ' ἑτέρων ἄγησθε καὶ μὴ αὐτοὶ δύνησθε σωθῆναι. Epistulae loco plane similia sunt, quae in Dionis oratione XXX leguntur (cuius altera pars hanc imaginem accuratius expressam continet) § 43 (cf. § 39 fin.) καὶ ἐπειδὰν ἀπιέναι δέῃ, οἱ μὲν ἄσωτοι καὶ ἀκρατεῖς ὑπὸ τῶν ἀκολουθούντων ἕλκονται καὶ σύρονται μετὰ πόνων τε καὶ νοσημάτων κεκραγότες καὶ οἰμώζοντες οὐδὲν εἰδότες οὔτε ὅποι παρῆλθον κ. τ. λ. § 7 ὧν δεσπόται λέγεσθε εἶναι: quorum (bonorum) domini vocamini (re vera non estis): sententia

1) Vel totam vitam ut festum diem agit. Cf. Diog. ap. Plut. περ. εὐθυμ. 20.
2) Fortasse auctor ad res aetate sua actas § 2 fin. et § 3 spectat.
3) Cf. dictum Socrati tributum (D. L. II 35).

cynica et stoica, re enim vera hominibus nihil proprii est, a Fortuna (Τύχῃ) omnia mutuati sunt, cf. Heinzii diss. p. 28, 1; Epict. fr. 19. — κοινοὶ δήμιοι, οὓς ὑμεῖς καλεῖτε ἰατρούς: relego ad Nordenium l. c. 19, 397. — οἷς ἃ ἐπὶ τὴν γαστέρα ἐπέλθῃ ut illud κοινοὶ δήμιοι satirae colorem redolet. Iam Marcksius l. c. p. 16 illud Persii IV 48 bene comparavit „si facis in penem quicquid tibi venit". — Cum verbis κἂν ὑγιασθῆτε κτλ. usque ad τοῖς ἰατροῖς ἐγκαλεῖτε idem aptissime ep. Hippocr. 17, 54 et 20, 1 contulit. — In fine denique epistulae Diogenes personatus ad se ipsum, discipulum Antisthenis transit, qui monstra stulta non curasset, quae canis verba nescirent, ut in epistula dictum esset. [1]) Postremo quod barbaros Graecis exemplum proponit, a Cynicorum doctrina minime abhorrere iam Norden demonstravit (19, 398), cf. Weber p. 127—33, Schwartz Rh. M. 40, 251 sq. Animadvertas de illis ex Cynicorum sententia Diogenem dicere: πάντες ὄντες αὐτάρκεις. — Ad plurima igitur, quae in epistula legimus loci scriptorum similes afferri possunt. At ex hac re non sequitur, ut hos vel quosdam eorum exemplar auctoris fuisse putandum sit, immo omnia ita inter se congruunt et cohaerent, ut epistulam ab auctore non consutam, sed suopte ingenio compositam esse appareat. Sunt quidem verba, quae auctor tradita acceperit, ut illud ὁ καλούμενος, salutandi formula cynica οἰμώζειν. Utrum illas miras dicendi formulas κακοὶ κακῶν ἐπιτήδειοι ὄντες, στρεβλοῦσθε καλῶς ποιοῦντες (§ 7 simpliciter καλῶς ποιοῦντες), quas identidem adhibuit, ipse invenerit an aliunde sumpserit, dubitari potest, quanquam hoc veri similius videtur. — § 7 illud οἱ κοινοὶ δήμιοι et οἷς ἃ ἐπὶ τὴν γαστέρα ἐπέλθῃ utrum auctor ipse invenerit an ex litteris stoicis cynicisve vel satirarum poesi acceperit (Marcks p. 16), in dubio vix esse potest, omnino epistula tam satiricum colorem habet [2]) — vel potius totam epistulam satiram rectius dixerit quispiam — ut auctorem satirarum poesin, certe litteras cynicas cognitas habuisse negari vix possit, quanquam quibusdam locis profecto dignosci non potest, quantum ex ea hauserit. — Sed certe satiram vel certum scriptum cynicum eum adhibuisse nullo modo demonstrari potest. — Ipse fuit verus et sincerus Cynicus.

---

[1]) In qua epistula, non perspicuum est. Utrum ad epistulam sub Antisthenis nomine scriptam spectat an ad ep. 28 ipsam illa verba referenda sunt?

[2]) Cf. e. g. formulas καλούμενος, οἰμώζειν (quocum conferas praeter Lucianum, quem in dialogis mortuorum Menippum imitari vix quisquam negabit, dial. mort. I 2; XX 1; (cf. etiam IX 3), Hor. sat. I 1, 63: iubeas miserum esse, I, 10, 91: iubeo plorare, cf. etiam Dion. VIII 34) στρεβλοῦσθε καλῶς ποιοῦντες — ἀκρασίαν τῆς δυστυχοῦς γαστρὸς καὶ πόσθης — ἢ σωφρονεῖν μάθετε ἢ ἀπάγξασθε — ὧν δεσπόται λέγεσθε εἶναι.

Ex epistulis 29 et 40 quae praeter ea, de quibus supra p. 8—10 egi, animadversione digna sint, brevissime adnotabimus. Post Antisthenem igitur Cynici saepius se paedagogi nomine ornasse videntur. Cf. Bion. ap. Tel. p. 3, 9 H; Teletem ipsum 16, 14. Luc. Pisc. 45. Epict. III 22, 17. — δριμύτατα μὲν βλέποντα: cf. Luc. Κατάπλ. 3 de Cynico δριμὺ ἐνορῶντα; Dion. VIII 30 de Hercule cynico ὀξὺ βλέπων, cf. IV 14 de Diogene. — De timoribus, in quibus Dionysius esse dicitur (29, 1), cf. quae Diogenes de tyrannis ap. Dion. VI 38 exponit, adde Luc. Gall. 25. — Servitutem vitam esse, quae cum timore ageretur: cf. Epict. II 1, 24; Dion. IV 64; Antisth. ap. St. fl. 8, 14; Diog. ap. D. L. 75. — ἐξωμεύς est, qui ἐξωμίδι illa Cynicorum (et omnino pauperum hominum) [1]) indutus est. Sic ap. Luc. Vit. auct. 8 ἐξωμίας [2]) Diogenes audit; cf. etiam Sext. p. 35, 19 B. ὁ μὲν Διογένης ἀπὸ ἐξωμίδος περιῄει. — Illi Theognidis versus saepe afferuntur, cf. e. g. Xen. Mem. I 2, 20; Muson. ap. St. fl. II 339—40 M., Aristot. Eth. Nic. IX 9 et 12. Neque comparatio tyranni cum aegroto insania capto ab auctore excogitata videtur. [3]) — In universum de ceteris epistulae sententiis dicendum est, quantum auctor aliunde sumpserit, quantum de suo addiderit, distingui non iam posse. Totum epistulae argumentum Cynicorum de tyrannis sententiae convenire post Weberum (92 sq.) demonstrare non opus est. — Utrum autem haec epistula ab eodem atque ulla reliquarum auctore scripta sit necne, diiudicari vix potest. Ceterum nonnullae similitudines inter eam et ep. 28. sunt. — Nunc pauca ad ep. 40. [4]) adnotemus. — Statim in initio difficultas est, ubi Diogenes personatus dicit: ἐμεμψάμην καὶ Διονυσίῳ καὶ Περδίκκᾳ, λέγω δὲ καὶ σοί, ὅτι δοκεῖτε τὸ ἄρχειν εἶναι μάχεσθαι τοῖς ἀνθρώποις, nam in eis Diogenis epistulis, quae ad hos reges missae nobis servatae sunt (5., 29., 45.), talis vituperatio omnino non invenitur. Sed haec omnino non ita tradita sunt, ἐμεμψάμην Boissonadii coniectura est, in P ἐπέμψαμεν legitur. Quod si rectum est, esse potest, ut initii verbis ep. 5. (vel 45.) et 29. significentur. Quanquam si auctor has epistulas spectat, [5]) quod dicit, certe non accuratum est. — Num id quod § 1 dicit regnare hominibus uti sive et optimi causa aliquid facere esse, ex Cynicorum doctrina repetendum sit, plane incertum est; quan-

b) Ep. 29.

c) Ep. 40.

---

[1]) Cf. etiam sis de tunica Gell. II 12, 3.

[2]) Vocabuli igitur interpretatio in Papii lexico s. v. corrigenda.

[3]) Nonnihil diversum est, quod Antisthenem (ap. Xen. conv. 4, 37) tyrannorum propter nimis gravem morbum (avaritiam) miseret.

[4]) Inscribitur Διογένης ὁ κύων Ἀλεξάνδρῳ.

[5]) Si hoc facit, ep. 29. et 5. (s. 45.) a se scriptas esse dicit. Utrum hoc esse possit necne, supra disserui p. 8—10.

quam ei illud verae βασιλείας munus esse censuisse videntur, cf. Schwartz Rh. M. 40, 539, qui Cynicos verum regem hominum εὐεργέτην intellexisse statuit. Cf. etiam Dion. or. III. Idem Musonius Stoicus censet. (ap. St. fl. II 271, 22 M.) — Comparatio Alexandri cum lupis facta nobis in mentem revocat, Cynicos bestias cum hominibus plerumque ut eis exemplum bonum proponerent,[1]) comparare solitos esse. Ceterum luporum exemplum non solum aetate imperatoria usitatum est (de qua cf. Marcks l. c. p, 15—6.) — ἀμαθίαν quod Diogenes Alexandro exprobat (§ 2 et 4), sane ex Cynicorum sententia est. Cf. in universum de hominum ἀμαθίᾳ Dion. VIII 8, IX 9; [Luc.] Cyn. 19; ep. Socr. 8, de tyrannis Cebet. XLII 3 „tyrannis nullos nisi ignorantes comitatur". — Ceterae fere omnes sententiae ex trivio desumptae sunt. — Mala facile muros transilire (§ 4), qui non tuerentur, neque murum febrim, neque mercennarios epiphoram (absurde dictum!) arcere. Fortasse illam festivam Horatii imaginem comparare licet c. III 1, 36—40; (s. II 7, 114—5). Homines docendos esse recte agere inde a Socrate cum alii philosophi tum Cynici docuerunt.

Epistulae, in quibus Diogenis itinera narrantur. a) Epp. (33), 35, 38.

Transeamus ad eas epistulas, in quibus Diogenes de itineribus suis refert. Quibus cum epistulis ep. 33 coniungenda est. In hac epistula, in qua colloquium Alexandri cum Diogene (ab auctore satis inepte compositum) redditur[2]), praeter complura dicta[3]) ab auctore usurpata nonnullas sententias cynicas invenimus, quas vix illustrare opus est. Initium autem ep. (ut finis) ab auctore ipso (absurde) excogitatum est. — In ep. 35. §§ 1—2 Diogenes duo a se dicta enarrat, quae aut ab auctore ipso excogitata aut male reddita sunt. Deinde de se rem quandam narrat, quae a Demetrio quoque (περ. ἑρμην. 261), sed paulo aliter traditur. Nam cum secundum hunc auctorem Diogenes, postquam arrexit, dictum quoddam adulescenti respondeat, in epistula Diogenes a palaestrae custode propter id, quod fecit, increpitus ei sententias vere cynicas exponit. Antea autem epistolographus Diogeni talia tribuit, quae a Cynici persona quam maxime abhorreant (§ 2 fin. τὸ γὰρ ἕτερον ὄνομα κ. τ. λ.), itaque non credendum est, ep. auctorem illas sententias ipsum excogitasse. Immo aliunde desumpsit. — In ep. 38. (ut in 33.) nonnulla indicia sunt, auctorem Cynicorum litteras (diatribas) cognitas habuisse.

---

1) Hic autem comparatio in Alexandri convicium facta est.

2) Ceterum in § 2. fin. διαφέρω σου contra Schafstaedtium (p. 36/7) tenendum esse puto, cf. etiam Dionis locum (or. IV 11) de eadem re εἴ τις αὐτοῦ διοίσει.

3) Ad § 1 cf. e. g. D. L. VI 38, Plut. vit. Al. 14, ad § 4 D. L VI 32.

Diogenes in hac ep. praeter complura a se facta [1]) de moribus suis nonnulla enarrat. Quod se φιλοθεάμονα esse dicit, cum Cynicorum, tum Diogenis moribus respondet, cf. Norden l. c. 19, 377/8; Epict. III 22, 38, Luc. Κατάπλ. 7, qui Cynicum ἔφορον vocat. Imprimis in § 3 auctor accuratiorem notitiam vitae Diogenis prodit. Talia, ut hoc loco legimus, eum tradita accepisse apparet. Nunc tandem ad eas Diogenis epistulas pervenimus, quae inter omnes plurimi aestimandae sunt. In ep. 30. Diogenes patri se Athenas ad Antisthenem [2]) venisse narrat, qui duas vias ad beatitudinem ferre docuisset [3]). Quem, ut eas sibi demonstraret, cum rogasset, eum se ad arcem duxisse et duas vias in eam ferentes demonstrasse τὴν μὲν σύντομον, τὴν δὲ πολλήν, ... τὴν μὲν ὀλίγην προσάντη τε καὶ δύσκολον, τὴν δὲ πολλὴν λείαν τε καί ῥᾳδίαν [4]) (verba quae sequuntur καθιστὰς ἅμα γάρ graviter corrupta esse Wilamowitzius me docuit.) Tales vias ad beatitudinem ducere. Se tum compendiariam viam ingressum esse refert, qua vitam cynicam significari ex altera epistulae parte cognoscimus. Eadem via in ep. 37, 4 sq. accuratius descripta est, quanquam ibi de una, hic de duabus viis Diogenes loquitur. Hac igitur viarum imagine poetarum Hesiodum [5]), philosophorum Prodicum primum usum esse notum est. Cuius allegoriam a Xenophonte (Mem. II 1, 21 sq.) nobis servatam auctorem non imitatum esse apparet, nam apud Xenophontem Κακία se Herculem facilem et brevem, Virtutem autem difficilem et longam viam ad beatitudinem eum ducturam esse dicit (§ 29). Quod Virtus, cum illius verbis respondet, minime infitiatur. Ergo imago in eo plane diversa est, quod in epistula brevis, apud Xenophontem longa via ad beatitudinem ducit. Ceterum apud Xenophontem imaginem viarum non accuratius expressam esse Praechter [6]) p. 99 recte animadvertit. Neque beatitudinem in monte esse fingitur, quanquam hoc Hesiodus (a Xenophonte brevi ante (§ 20) laudatus) facillime suppeditare potuit. Ceterum re vera et a Prodico et ab Antisthene (in ep.) unam viam ad beatitudinem ducere dici elucet. Nam si altera quoque, quam οἱ πολλοὶ ineunt, ad beatitudinem fert, cur Diogenes

b) Ep. 30 et 37.

---

1) Ad § 1 cf. D. L. VI 39, quo de dicto cf. Kock Rh. M. 43, 53 et Norden l. c. 18, 270, ad § 5 Galeni protrept. p. 10, 31 sq. (Kaibel).

2) Qui Σωκράτους ἑταῖρος, non ipsius nomine appellatur, ut ap. Dion. VIII 1 in eius ἑταίροις numeratur (quo verbo Socratis discipuli appellari solent).

3) Ad lacunas § 1 explendas cf. Marcks p. 49/50.

4) Wilamowitzius προσάντη δὲ καί — λείαν δὲ καί scribendum esse putat.

5) Opp. 286 sq., quem locum Simonides in illis versibus (fr. 58 B) spectat. Tertium autem versum alius loci Hesiodei memor fecisse videtur (Opp. 197 sq.).

6) In diss. inaug, quae inscribitur „Cebetis tabula quanam aetate conscripta esse videatur“ Marburg. 1885.

eam non ingreditur, et quid eius dictum ad beatitudinem etiam per ignes gladiosque eundum esse vult? Atque alteram facilem et levem esse Antisthenes docet, sed ad beatitudinem nullo pacto nisi labore (πόνῳ) perveniri potest. Ergo ea, quae in ep. 37, 4 sq. de una via narrantur, cum ep. 30. re vera non pugnant, sed utique consentiunt.[1]) (Quod non perspexit Marcks p. 9). Ex eodem igitur fonte quae in utraque epistula de viis legimus desumpta esse vix quisquam negabit. —

Nunc in ceteras viarum imagines apud scriptores expressas inquiramus, ut num epistolographus imaginem ad hunc diem nobis servatam imitatus sit, cognoscanus. Cebetis tabulam si primam aspicimus, quanquam utrum Dioni aetate antecedat necne, dubitari potest,[2]) unam tantum viam (a qua multi aberrant, c. VI p. 6 P), quae inde a Falsa ad Veram Eruditionem (cf. XI 2, XII 3, XXXII 3—4 P), deinde ad Beatitudinem ducit, expressam esse videmus. Qua re auctorem illam imitatum esse non statuendum est, praesertim cum si eam cognitam habuisset, certe eius scenopoeiam a se in epistula (30) 37 tam paucis enarratam maiorem in modum usurpasset. Quanquam nonnulla in epistula similia esse nemo mirabitur.[3]) Dionis or. I 66 sq. iam Weber p. 250 cum epistula composuit, quanquam hic quoque aliquantum interest. Nam via, quae ad Βασιλείαν fert, tuta et lata (ἀσφαλὴς καὶ πλατεῖα) est, ut aliquis etiam curru vehens introire possit[4]) (εἴ τῳ δεδομένον εἴη παρὰ μεγίστου θεῶν), altera autem, quae ad Tyrannidem ducit, angusta, curva, difficilis (βίαιος) est, ergo ea, quae re vera commendatur, via ἀσφαλὴς καί πλατεῖα, a προσάντῃ καὶ δυσκόλῳ satis est diversa. Omnino qui Dionis orationem cum epistula comparaverit, auctorem Dionis vestigia sequi non putabit. — Luciani autem, qui tales allegorias amat, neque Hermotimum (22 sq.), ubi de multis viis, quae ad finem ducere videntur[5]),

---

[1]) Cum igitur utraque epistula praeterea eadem dictione conscripta sit, ad eundem auctorem eas referre non dubito.

[2]) Contrarium Praechter l. c. p. 100 sq. statuit, sed multa ap. Ceb. Dionis cum or. cum I. tum IV (cf. e. g. IV § 114 cum Ceb. V 1 et 3) adeo consentiunt, ut alterum auctorem altero usum esse negare vix liceat. Dionem autem Cebetis vestigia sequi persuadere mihi vix possum. Sed cum hanc rationem inter Cebetem et Dionem intercedere videri non ipse invenerim, hanc rem accuratius persequi non meum est.

[3]) Cebetis tab. XV 2/3 cf. cum viae descriptione in ep. 37, 4. Adde quod illae duae viae in epistula cum viis, quae ad acropolin ferunt, comparantur, ap. Ceb. Beatitudo ἐν ἀκροπόλει περιβόλων πάντων sedet.

[4]) Ex tota Dionis allegoria necesse fuit, talem viam describere, quippe quae ad veram Βασιλείαν ducat.

[5]) Quibus philosophorum scholae singulae significantur.

non de duabus, ac ne de fine quidem earum in monte posito agitur, neque locum ex libello de mercede conductis (42), ubi unam viam, quae ad Plutum in monte sedentem ducit, secundum Cebetis tabulam depictam videmus, auctorem imitatum esse apparet. Multo similior imago in eiusdem scriptoris libello, qui Ῥητόρων διδάσκαλος inscribitur, invenitur.[1]) Cuius argumentum hoc est. Lucianus ab adulescente, qui orator clarus fieri cupit, de viis ad hunc finem ferentibus se interrogatum fingit. Neque asperam sudoris laborisque plenam se ducere velle pronuntiat ut ceteros, qui longam, arduam, desperatam commendarent, sed iucundissimam, brevissimam (ἐπιτομωτάτην), ἱππήλατον, quin etiam κατάντη (!) ad culmen se ducturum esse promittit. Cebetis autem exemplum secutum duas ad Rhetoricam, quae in monte quodam sederet, vias se descripturum esse atque alteram angustam, spinosam, asperam, alteram aequam neque curvam. Illam raro iniri, quam ipse miser ingressus esset; sin igitur adulescens ad compitum venisset, ducem viae longae et asperae, qui laborem necessarium esse censeret, eum ut se sequeretur, adhortaturum esse. Quod Lucianus dissuadet, immo imperat, ut adulescens alterius viae duci, quem ipsum loquentem facit, se tradat.[2]) — Hic ergo id interest, quod altera via longa et aspera, altera brevis et facilis, in epistula autem altera brevis et aspera, altera longa et facilis est. Atque etiam in reliquis descriptiones differunt, ut epistolographum ne hoc quidem exemplar cognitum habuisse certum sit. Neque ceteri auctorum loci, quanquam apud scriptores posteriores imago viarum usitata est,[3]) tam similes sunt, ut auctorem cum uno eorum artius cohaerere credendum sit.

Epistolographum igitur imagine ad hunc diem nobis servata usum esse negandum est. Sed auctorem hanc duarum viarum imaginem ipsum excogitasse s. exornasse ne putemus, multa monent. Primum altera via compendiaria, qua vita cynica significatur, a

---

1) Antea cum epistulam cum Cebete compararem, epistolographum illo usum esse negavi, praesertim cum apud Cebetem una tantum, in epistula duae viae descriptae essent, at hic Lucianus, ut ipse dicit, Cebetis exemplum secutus, duas vias depingit! At Lucianus simul Prodici allegoria usus est itaque facillime adduci potuit, ut duas vias exprimeret.

2) Ceterum totum scriptum Luciani mordacissimam satiram esse contra eos, qui illis temporibus se oratores esse simulabant, re vera igitur Lucianum censere nullam nisi longam et asperam viam ad finem perducere neminem fugit.

3) Scriptum Christianum, quod διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων vocatur, afferre vix opus esse videtur, nam primum illae duae viae, de quibus illic agitur, neque acclives s. declives sunt, neque ea via, quae ad beatitudinem fert, brevis est, deinde haec viarum imago omnino ex Testamento Vetere quod vocatur, desumpta esse potest.

Cynicis ipsis saepius laudatur.[1] Neque duae viae, quae ad arcem Athenarum ducunt[2], quibuscum eae, quae ad beatitudinem ferunt, comparantur, ab auctore fictae esse videntur. Sed ut pedem in hac quaestione longius ferre possimus, nobis descriptio viae in ep. 37, 4 sq. facta subsidium affert. Quam accuratius examinemus necesse est. Ibi Diogenes cum Lacydis luxuriam insectatur, hoc modo apud eum disserit: ποτήρια δὲ ἔστω, οἷς πιόμεθα, τὰ ἐκ πηλοῦ λεπτὰ καὶ εὔωνα, πόμα δ' ὕδωρ ναματιαῖον, τροφαὶ δὲ ἄρτος καὶ ὄψον ἅλες ἢ κάρδαμον. τοιαῦτα ἐγὼ παρὰ Ἀντισθένει παιδευόμενος ἔμαθον ἐσθίειν καὶ πίνειν, οὐχ ὡς φαῦλα, ἀλλ' ὡς κρείττονα τῶν ἑτέρων καὶ μᾶλλον δυνάμενα ἐν τῇ ὁδῷ εὑρίσκεσθαι τῇ φερούσῃ ἐπ' εὐδαιμονίαν — tum eam describit: fert ἐν τόπῳ ὀχυροτάτῳ καὶ ἀποκρημνοτάτῳ, est una ardua aspera, quam propter difficultatem vix nudus aliquis ascendere neque si aliquid secum ferret, vel dolore (μόγῳ) et vinculis gravatus esset, servari posset. Nihil eorum, quae necessaria essent, persequi licere, sed in via (ipsa) cibum sumere πόαν ἢ κάρδαμα, πόμα δ' εὐτελὲς[3] ὕδωρ[4] μάλιστα δὲ ὅπῃ δέοι τοῦ ῥᾷστα βαδίσαι, pallio levi indutum, exercitationem humi decumbendi demonstrantem, in culmine autem Mercurium venientes excutere, num viaticum profanum secum domo ferrent. ἐγώ τοι παρὰ Ἀντισθένει πρῶτον ἀσκήσας ἐσθίειν τε καὶ πίνειν ἧκον τὴν ἐπ' εὐδαιμονίαν ὁδὸν σπεύδων ἀπνευστί ... Totam hanc descriptionem Cynicorum rationem redolere apparet. Difficilem esse viam in ep. 12. quoque dicitur.[5] Neque aliquid secum portantem vel miseria et vinculis oneratum quemquam servari posse: hoc quoque translata vi intellegendum videtur: qui λύπῃ oneratus vel ἐπιθυμίᾳ vinctus est, nullo pacto ad beatitudinem pervenire potest. — Quod de victu dicitur, ex Cynicorum consuetudine notum est. (cf. e. g. Crat. fr. 1; 7, 5. [Crat.] ep. 14; 18; Diog. ep. 30, 4.[6])

---

[1]) Cf. Norden l. c. 18, 313 et 352.

[2]) Pausaniae quidem temporibus μία ἔσοδος fuit (cf. eum I 22, 4), sed olim duas fuisse quaestionibus archaeologorum in arce Athenarum factis cognitum habemus, ut Wilamowitzius me docuit. Itaque epistolographus hanc duarum viarum in arcem ducentium notitiam ex scriptore, cuius temporibus hae viae notae erant, desumpsisse putandus est.

[3]) Schafstaedtii hanc coniecturam pro obscuro εὐπαλὲς accipio.

[4]) Valde dolendum est, quod contextus verborum tam multis locis tam male traditus sit. — In § 5 est sine dubio dittographia quae vocatur (verba γυμναστέον — ὕδωρ).

[5]) Cf. ep. 3. — Vix nudus aliquis viam ascendere potest, cf. Themistii orationem in Rh. M. 27, 439 editam, ubi de via ad sapientiam ferente idem dicitur. Ceterum est longa et curva, ergo a Cynicorum συντόμῳ ὁδῷ diversa.

[6]) Cf. Zeller 318, 6.

Quod Mercurium in culmine stantem venientes excutere narrat, hoc item ex Cynicorum sententia explicandum videtur: Mercurius omnes malitia et vitiis liberi num sint perscrutatur, quoniam ei, qui ad beatitudinem pervenire vult, omnia πάθη, ἐπιθυμίαι etc. antea deponenda sunt. Apte mihi locus ex Cebetis tabula comparari videtur, ubi Vera Eruditio venientes omni malo purgat. [1]) — Hanc Mercurii imaginem hoc munere fungentis auctor ep. non ipse finxisse, sed ex alio fonte desumpsisse videtur. [2]) In Luciani dial. mort. 10., qui colorem vere Menippeum, certe cynicum habere videtur, [3]) Mercurius homines mortuos, qui navi transiciendi sunt, nudos eam conscendere, omnia quae molesta sunt, τῦφον, τρυφήν, ἄνοιαν, praeterea omnia, quibus gloriantur, deponere cogit. Lucianum, cum dialogos mortuorum componeret, Menippi Necyiam imitatum esse veri simillimum est. Atque in illo ipso dialogo eum scenopoeiam ex Menippi satira desumpsisse, cum et ipsam et doctrinae cynicae vestigia in hoc dialogo perspicua examinaverimus, putabimus. Sed in eo imagines plane differunt, quod in epistula Mercurius in culmine stans eos, qui beatitudinem petunt, perscrutatur, apud Lucianum autem scena apud inferos est. Itaque epistulae auctor sitne eodem atque Lucianus fonte usus, valde dubium est, sed illam Mercurii imaginem non ipsum excogitasse, sed aliunde desumpsisse vix quisquam negabit. Accedit ad hanc sententiam stabiliendam, quod ad totam imaginem in epistula expressam hic finis viae optime quadrat. — Totam autem viae descriptionem aliunde desumptam esse haec omnia mihi consideranti verisimillimum videtur. Fontem huius descriptionis cynicum fuisse ex locis modo allatis apparet. — Fortasse etiam longius progredi licet. In utraque ep. (30 et 37) Diogenes se ab Antisthene hanc viam didicisse dicit, (30; 37, 4 et 6). Dixerit forsitan quispiam, hoc propterea dictum esse, quod Diogenes Antisthenis discipulus factus esset. Sed accedit aliud. In ep. 37, ubi via describitur, auctor oratione obliqua usus est (cf. etiam 30, 2 fin. βαδιστέον εἶναι). Adde quod Diogenes ipse in versibus apud Plutarchum (Quaest. conv. II 1, 7) de Antisthene magistro suo dicit: ὅς με ῥάκη τ' ἤμπισχε κἀξηνάγκασε πτωχὸν γενέσθαι καὶ δόμων ἀνάστατον. Fons igitur fuit scriptum quoddam, in quo Diogenes Antisthenem talia docuisse narraret. Qui liber (fortasse) sub Diogenis nomine ferebatur. — De Antisthenis ipsius scripto vix cogitandum est. — — Nunc breviter quae praeterea in utraque epistula animadversione digna sint,

---

1) c. XIX.

2) Cf. etiam quod Mercurium λόγον (rationem) esse Stoici docebant (Zeller III 1 [3], 328 et 328, 3; 67, 1).

3) Idem Norden l. c. 18, 299 iudicat.

deligam. In ep. 30 Diogenes, cum compendiariam viam ingressus esset, se ab Antisthene Cynicorum armis instructum esse refert. τὸ δὲ ποτήριον καὶ τὸ τρυβλίον διὰ τί ἐνέβαλες Diogenes Antisthenem § 3 interrogat. ὅτι δεῖ σε, εἶπε, καὶ πίνειν καὶ ὄψῳ χρῆσθαι, ὄψῳ ἑτέρῳ, ἔφη, κάρδαμον μὴ ἔχοντα. In his verba ἑτέρῳ, ἔφη corrupta esse videntur. [1]) Primum in verbo ἔφη offendimus, quia haec verba iam illo εἶπε introducta sunt. Deinde quid vult ὄψῳ ἑτέρῳ? Cynicorum ὄψον famem fuisse saepius legimus (cf. e. g. Bion. ap. Tel. p. 4,12 H, Dion. VI 12, Epict. fr. 28, Xen. Mem. I 3, 5 (6, 5; Cyr. I 5, 12). Xenophon hunc morem Socratis esse dicit, cf. ep. Diog, 32, 1. Hor. s. II 2, 20—21). Sed si hoc putamus, quid τρυβλίῳ Diogeni opus est? — Ampullam et strigilem [2]) τὴν μὲν ἀρωγὸν πόνων, τὴν δὲ γλοίου Antisthenes in epistula dicit. Quod ex [Platonis] Menexeno p. 238 A desumptum esse Boissonadius (p. 192) vidit. — Mirum enuntiatum extremum est: ἡ δὲ βακτηρία πρὸς τί; ἔφην. „πρὸς τὴν ἀσφάλειαν", εἶπε. „ποίαν τήνδε"; „πρὸς ἣν οἱ θεοὶ αὐτῇ ἐχρήσαντο, πρὸς τοὺς ποιητάς: auctor dictum aliquod s. sententiam aliunde desumpsisse, sed depravasse videtur, cuius auctor (fortasse) dixerat, deos poetas propter illa multa, quae de se mentiti essent, punisse.

In ep. 37. Diogenes se Rhodum ad hospitem se contulisse narrat, qui sibi de via decessisset, itaque se apud deos habitasse. [3]) Paucis diebus post se eum offendisse et ab eo invitatum ad illum venisse, qui cenam luxuriosam sibi parasset. Qua re eum increpans cynicam vitam commendat. Auctorem igitur narrationem, quam in priore epistulae parte legimus, ipsum excogitasse vix credendum est, propterea quod ea, quae de hospite narrat, qui sibi de via decessisset, in orationem, quam ad eum habet, non bene quadrant. Ceterum nonnullae cynicae sententiae in epistulae priore parte inveniuntur. In § 3 fine de se dicit σὺ δ' ἐπ' ἐμὲ ὅσα οἱ ἐχθροὶ παρεσκεύασαι: conferri potest Antisthenis dictum D. L. VI 8: ἐχθρῶν παῖδες τρυφήσειαν. cf. etiam in fine epistulae τὰ δὲ πλούτου ἴει [4]) εἰς τοὺς ἁμαρτάνοντας τῆς ὁδοῦ. — Tum Lacydem adhortatur, ut sibi lectum sternat, ὡς Ὅμηρος τοὺς ἥρωας ἐν Ἰλιάδι κατέκλινεν ἐπὶ ῥινοῦ βοὸς ἀγραύλοιο, qui versus (K 155) saepius a Cynicis, ut vitae con-

---

1) Ceterum ante verba ὄψῳ ἑτέρῳ Diogenis interrogatio excidisse videtur.

2) Easdem res Diogenes in ep. 35, 2 secum portat. Cf. etiam de Cynico Epictetum I, 24, 11.

3) Diogenem in templis saepe dormisse notum est, cf. illum Teletis locum p. 5, 4 sq., ubi Diogenes ipse talia de se dicit (Tel. 31, 1; Dionis or. IV, 13, VI 14, D. L. VI, 22.

4) ἀεί P, quod si tenemus, verbum, a quo verba εἰς τοὺς ἁμαρτάνοντας pendeant, desideratur.

suetudinem suae laudarent, allatus esse videtur. Iam E. Weber p. 232—3 recte Dionis locum II 45 [1]) comparavit, nam Robertus Weber (Lpzg. st. XI) non iure de hac re dubitat, conferas enim Clementis locum (Paedag. p. 282, 11 Dind.), qui eundem Homeri versum et vitae consuetudinem commemorans κενοδοξίας κυνικῆς hoc esse dicit! Ad verba θέραψ δὲ οὐδὲ εἷς ἔστω κ. τ. λ. cf. similem Epicteti locum II 16, 13; D. L. VI 44 fin. — Ceterum accessus ad Beatitudinem et colloquium, quod Diogenes cum ea se habuisse dicit, non bene in narrationem de Antisthenis via quadrant. Sed quae Beatitudo Diogeni respondet, ex Cynicorum sententia dicta esse apparet. — Tum illis a Beatitudine auditis se hanc vitam non ut ἀσχήματα, sed ut ἡδονάς egisse [2]), quod nobis Antisthenis doctrinam πόνον ἀγαθὸν esse (D. L. VI 2) in memoriam revocare potest.

Additamentum ad epp. 30 et 37.

De duarum viarum imagine.

Breviter hoc loco de Prodici quibusdam imitationibus agere liceat, quia eas et inter se et cum ep. 30 et 37 comparare non inutile videtur. Quoniam non satis constat, quae ratio inter Dionem, qui sine dubio illo loco (I 66 sq.) Xenophontis descriptione (Mem. II 1, 21 sq.) usus est, et Cebetem intercedat, quem artiore vinculo cum Prodico non coniunctum esse apparet (v. supra p. 31/2), ita ut ex eis similitudinibus, quae utrique auctori communes, a Xenophonte alienae sunt, aliquid concludere vix liceat, quia alterum ex alterius imagine has similitudines desumpsisse quispiam putaverit, bene accidit, ut nobis apud alios auctores [3]), qui his duobus ipsi

---

[1]) In Dionis or. II multa vestigia Homeri interpretationis cynicae inesse videntur, e. g. cf. § 37—41, ubi Homerum, quae non probanda videbantur, κατὰ τρόπον et ἦθος eorum, quos descripsisset, dixisse pronuntiatur. Et Antisthenes et Zeno τὰ μὲν δόξᾳ, τὰ δὲ ἀληθείᾳ eum dixisse censuerunt, cf. Dion. or. 53 p. 276 R.

[2]) κρατύνει (sic Hertlein, κρατεῖ P) δέ με πρὸς ταύτην τὴν δίαιταν καὶ τὸ ἔθος, οὗ πᾶς ἀπολειπόμενος βλάπτεται: quanti Cynici Stoicique ἔθος et ἄσκησιν habuerint, notum est, cf. etiam Musonii in multis Cynici dissertationem, in quo ἔθος pluris quam λόγον aestimandum esse exponit. (St. fl. IV 162 M.)

[3]) Lucianum (De merced. conduct., Rhet. praec.) consulto praetermitto, qui se Cebetem imitari ipse dicit. (In Somnio 6 sq. Prodicum (Xenophonteum) imitatur, ubi Hermoglyphica ars et Eruditio de Luciano certant. Praeterea scenopoeia in Bis acc. (19 sq.) Somnio addi potest. — Neque quosdam Maximi Tyrii locos hic afferre ex re est. Qui in diss. 20 Prodicum (Xen.) imitatur, neque quicquam hoc loco invenimus, quod eum non de suo addidisse, sed aliunde sumpsisse censendum sit. Etiam minus eius diss. 4 afferre necesse est, ubi tota Prodici imago iam oblitterata est (quanquam virtus cum voluptate comparatur, nulla duarum feminarum, nedum viarum fit mentio).

aetate antecedunt, tales imagines servatae sint, apud Philonem Iudaeum et Silium Italicum.[1]) Ille in libro de sacrificiis 5 sq. (cf. libelli qui vocatur de mercede meretricia §§ 2—4, quae in librum de sacrif. inserendae sunt, cf. Wendland l. c. p. 125 sq.)[2]) duas mulieres eodem atque apud Xenophontem modo descriptas, Virtutem et Voluptatem, inducit, quae mentem hominis ut sibi obsequatur, adhortantur. Sed de viis, nedum de fine earum in monte posito, nullum verbum fit. Utramque autem feminam ut apud Dionem et Cebetem multae aliae, quae ministrarum munere funguntur, comitantur. Imprimis Silii locus (15, 18 sq.), qui accuratius examinetur, dignus est. In

---

1) Fortasse his scriptoribus alius Maximi Tyrii locus addendus est, diss. 39, 3 (p. 245—6 R), ubi haec imago depingitur: via est longa, cuius finis regia ipsa est, via autem errantium, contusorum, iacentium est plena, quia ab ea multa deverticula et errores abducunt, atque angusta, ardua, aspera est, paucos anfractus habet, ad finem autem nullo modo nisi labore et sudore perveniri potest. Is qui ad finem ascendit, labore et dolore liber est, finis est τὸ ἀγαθόν. Sed utrum Maximus ad hanc imaginem describendam Dionis (cf. I 67 et 77) s. Cebetis locis adductus an alio fonte usus sit cum diiudicari vix possit, eum praetermitto.

2) Wendland (l. c. p. 140, 2) plurimas inter Xenophontem et Philonem similitudines iam composuit. Qui tamen de ratione inter utrumque scriptorem intercedente vix recte iudicavit *(„an eine direkte Benutzung des Xenophon ist wohl kaum zu denken“)*. Equidem propter similitudines partim maximas Philonem Xenophontem ipsum adhibuisse, certe legisse persuasum habeo. Sin autem mulier Virtuti adversa apud Xenophontem Κακία, apud Philonem Ἡδονή apellatur, haec nulla differentia est, nam apud Xenophontem nullam nisi Voluptatem et manifeste cum Virtute comparari luce est clarius. (Ultro cf. § 23 . . . τὴν ἡδίστην, § 27 quae Virtus alterius mulieris verba spectans dicit: οὐκ ἐξαπατήσω δέ σε προοιμίοις ἡδονῆς, § 30 ἵνα μὲν ἡδέως φάγῃς, . . . ἵνα δὲ ἡδέως πίνῃς . . ., ἵνα δὲ καθυπνώσῃς ἡδέως.) Ad Aristippum enim Cyrenaicum a Socrate haec dicta sunt. Utrum igitur Prodicus iam Voluptati Virtutem inimicam induxit an omnino Malitiam? Illud multo verisimilius est. Xenophontem enim ipsum Κακίαν appellasse Voluptatem puto. Cf. quae de voluptati indulgentibus, qui κάκιστοι essent, illo Cynegetici loco (XII 12/3 et 15) dicit. Ceterum nonnullis auctorum locis haec (Xenophontea) mulier simpliciter Ἡδονή vocatur, ut apud Max. Tyr. 20, quem Prodicum ipsum legisse nullum indicium est. Cf. etiam Clementem (strom. II. p. 485 P) Xenophontis Memorabilia II 1, 30 verbo tenus afferentem, qui dicit: καὶ ὁ Ξενοφῶν ἀντικρὺς Κακίαν τὴν Ἡδονὴν λέγων φησίν — (sequuntur verba ipsa Xenophontis). Ceterum de Clemente idem quod de Philone contra Wendlandium statuendum est. Nam apud eum str. II 10, 10 p. 236 P) ταύτῃ καὶ τὸν Κεῖον ἀποδέχομαι σοφιστὴν . . . . τὴν μὲν γάρ . . . . . καὶ λευχείμονα [Xen. § 22 ἐσθῆτι δὲ λευκῇ] καὶ καθάρειον [Xenoph. § 22 τὸ μὲν χρῶμα καθαρότητι] τὴν ἀρετὴν αἰδοῖ μόνον κεκοσμημένην [Xen. l. c. τὰ δὲ ὄμματα αἰδοῖ] θατέραν δὲ τοὐναντίον εἰσάγει τὴν Κακίαν [sic apud Xenophontem audit] περιττῇ μὲν ἐσθῆτι ἠμφιεσμένην, ἀλλοτρίῳ δὲ χρώματι γεγανωμένην [Xen.] καὶ ἡ κίνησις καὶ ἡ σχέσις πρὸς τὸ ἐπιτερπὲς ἐπιτηδευομένη [Xen.] ταῖς μαχλώσαις ἔγκειται γυναιξίν: omnia ad Xenophontem redeunt. Ultro Clemens str. II p. 485 P Xen. Mem. II 1, 30 verbo tenus affert.

eius quoque narratione Virtuti et Voluptati complures comites sunt (vss. 96 sq.). Praeterea notabile est, apud eum Virtutem Stoicis, Voluptatem Epicureis sententiis uti (iam Ruperti hoc diligenter adnotavit). Silium ipsum, qui quin Xenophontis et Hesiodi locos cognitos habuerit, dubitari non potest (de Hes. cf. Sil. 101 sq.), haec ita exornasse vix veri simile videtur. — Apud hos igitur quattuor auctores Virtutem et Voluptatem complures feminae comitantur. Praeterea non solum apud Dionem, apud quem hoc ex tota allegoria fieri potuit, vel Silium, qui in hac re Hesiodum imitatus sit, sed etiam in ep. 37. Diog., cuius descriptionem ex nullo fonte nobis servato desumptam esse supra vidimus, Beatitudo (s. Βασιλεία s. Virtus) in summo monte sedet. Quae omnia cum considero, haec mihi statuenda videntur. Cum apud hos auctores complures similitudines redeant, quae neque ex Xenophonte repeti neque ita explicari possunt, ut ab uno eorum reliqui pendeant, (imprimis Silii locus notabilis est)[1]) auctores allegoriam nobis non servatam, ex Stoicorum Cynicorumve sententia excultam cognitam habuisse et in usum suum vertisse veri simillimum est. Nam talis consensus sine dubio casui tribui non potest neque inde repetendus est, quod Prodici (Xenophontei) allegoria a compluribus auctoribus similiter amplificata sit. Omnino temporibus posterioribus haec Prodici fabula tam saepe usurpata est, ut inde a Xenophontis aetate usque ad Philonis tempora eam non adhibitam neque mutatam esse putare vix liceat. Ceterum inde ab Alexandri temporibus Graeci allegoriis saepius usi sunt, (cf. Praechteri diss.), e. g. cf. ex litteris Crantoris festivam imaginem ap. Sext. adv. math. 11, 51 sq., anonymi multo posterioris Σύγκρισιν πλούτου καὶ ἀρετῆς (St. fl. 91, 33. 93, 31). — Itaque in summa quidem cum Wendlandio consentio, quanquam de ratione inter Philonem Clementemque et inter Xenophontem intercedente eum non recte statuisse demonstravi. In universum autem animadvertendum esse addo, apud nullum auctorem praeter Xenophontem notitiam Prodicei libri ipsius inveniri.

Ad Diogenis epistulas redeamus. In ep. 31 Diogenes se in Cicermum[2]) pancratiastam incidisse narrat, qui victoris corona ornatus cum multitudine hominum rediturus fuisset. Diogenes igitur eum alloquitur et disputatione cum eo habita eum sine ulla causa victoriae gaudio elatum esse sophistica quadam ratione demonstrat atque ut ad cynicam vitam se convertat adhortatur. Ille autem maestus tristisque factus corona abiecta abscedit. — Prorsus similem rem

c) Epp. 31 et 36 (Dio IX 14—21, X).

[1]) Ceterum iam Ruperti aliquid suspicatus est, qui ad vss. 94—99 adnotavit „locus praeclarus, qui ex alio poeta, forte Graeco, nescio quo expressus videtur.

[2]) De nomine cf. infra p. 63.

Dio in or. IX 14–21 refert: Diogenes Corinthi stadii victorem, qui a multis hominibus circumdatus et coronis ornatus erat, offendit. Quem cum prope venisset, adfatus est et sermone, quem cum eo instituit, ei nullo pacto victoria efferri licere — hic quoque sophistica quadam ratione — comprobat. Qua re ille animo percussus abit. — Utrumque auctorem ad eundem vel potius ad eiusdem generis fontem redire apparet. Dixerit forsitan quispiam interesse aliquid inter epistulam et Dionem (praeterquam quod in epistula Diogenes pancratiastam Olympiae, apud Dionem stadii victorem Corinthi refutat), in epistula enim victorem omnino quod vicisset, apud Dionem autem stadii ipsius victoria gaudere absurdum esse Diogenes demonstrat, qua re argumenta singula omnino diversa sunt. At res est eadem et eadem ratio disputandi. Sed qualem ad fontem auctores redeunt? Dictum [1]) vel tale quid non fuisse vel inde apparet, quod apud utrumque auctorem disputatio Diogenis cum victore invenitur. Neque diatribam cynicam quae vocatur fuisse fontem ex eo cognoscitur, quod persona, quacum Diogenes colloquitur, non est ficta ut ille, qui ab altera parte stat in diatriba, sed vera, ut ex eis, quae de victoris comitibus, de eius animi conversione legimus, omnino ex tota re elucet. Fons autem fuit talis, in quo Diogenes cum victore disputaret, ita ut eum refelleret. Qui nullus nisi dialogus quidam fuisse potest, cuius persona Diogenes [2]) erat, nimirum dialogus cynicus. Dionem autem et epistolographum eundem dialogum reddere propter differentias, quas supra commemoravi, non verisimile est.

Hanc sententiam ut confirmem, aliunde auxilia advocabo. Est autem inter Diogenis epistulas alia, quae mihi plane eiusdem ingenii atque 31. esse videtur, 36. Ibi Diogenes cum Cyziceno de illis de Hercule versibus, qui ut ἀποτρόπαιον domibus inscribi solebant, disserit et hunc morem ineptum esse demonstrare studet. Quem

---

[1]) Ut Boissonadius, qui epistulam et Dionem primus contulit (p. 194—5), falso sane, putavit, qui dictum Diogenis apud D. L. VI 33 (= 43) traditum fundamentum amplificationis duorum sophistarum fuisse dicit.

[2]) Quem dialogum (s. dialogos) sub Diogenis nomine latum esse ex auctorum consensu minime sequitur, etsi hoc esse potuisse non est cur negemus. Nam auctorem dialogi ipsum personam in eo agere saepius videmus, velut Lucianum, qui sub Lycini vel ipsius (in Pisc.) nomine vel Syri (in Bis acc.) ipse persona dialogi est. — Quodsi de Diogene Laertius (VI 20) tradit οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ αὐτὸς περὶ αὑτοῦ φησὶν ἐν τῷ Παρδάλῳ ὡς παραχαράξαι τὸ νόμισμα, inde concludendum est aut Diogenem ipsum ut huius dialogi personam hoc pronuntiasse aut alium hoc de se (Diog.) dicentem fecisse. Illud autem sine dubio et ex Laertii verbis et ex re versimilius est. — Ceterum etiam secundo p. Chr. n. saeculo dialogos sub Diogenis nomine notos fuisse certum est, cf. etiam quod Epictetus II 19, 14 „Ethicam“ Diogenis dialogum commemorat. (D. L. VI 80).

sermonem, quamvis profecto male enarratum, ab auctore ipso inventum esse, quoniam initium epistulae ex illo dicto (D. L. VI 39) fecit, equidem tamen mihi persuadere non possum. Sed hanc epistulam infra accuratius examinabimus. Accedit alterum exemplum, Dionis oratio X, ubi Diogenes cum alio sermonem (a Dione diligenter redditum) habet, haud dissimili modo atque in epistulis disputans.[1]) His exemplis sermones, quorum alteras partes Diogenes Cynicus ageret, ab utroque auctore adhibitos esse satis demonstrari puto. Neque ceterae epistulae, quae sub Diogenis nomine feruntur, in hac re nihil valere videntur. Nam redditur sermo quamvis ineptus quamvis paucarum periodorum in nonnullis neque pessimae notae epistulis — ut 8. omittam — in ep. XXX 3—4, XXXIII, XXXV, (XXXVIII). Quod casui vix tribuerim. Nam in ceteris Graecorum epistulis talia exempla vix inveniuntur.

Nunc has epistulas et orationes separatim examinemus. De ep. 31. argumento in universum dicendum est, cum ceteros fere omnes philosophos,[2]) tum Cynicos in athletas vehementissime invectos esse. Cf. quae Norden (l. c. 18, 298 sq.) exempla collegit. — Statim prima verba, quibus Diogenes athletam adfatur, cum ex Cy-

---

[1]) Iam saepius Diogenis personati disputandi rationem sophisticam esse dixi, quod paucis comprobare liceat. In ep. quidem 31. hoc ita apparet, ut singulis exemplis id illustrare non opus sit, quod item in epistulam 36. cadit, in qua ratio disputandi, qua Diogenes consuetudinem illos de Hercule versus domibus inscribendi ineptam esse demonstrat, mihi plane eadem atque in ep. 31. esse videtur. — Apud Dionem autem in or. IX 14—21 conferas, quod celeritatem ignaviae indicium esse dicit, adde quod de Hercule ut tardo pronuntiat. Imprimis vero quod de Achille dicit, sophisticum est, in Dionis autem or. X quod (§ 2) illud χρῆσθαι duplici sensu usurpat, qua in re tota disputatio § 17—22 cardinem habet. (Nonnulla in hac orationis parte cum Xenophonte (Mem. IV 2, 24—30) consentire haud ignoro, sed propter plane alium sententiarum conexum mihi dubium est, sintne ea, quae apud Dionem illis apud Xenophontem similia sunt, ex Xenophontis loco desumpta. — Tum servum propterea, quod se otio peiorem fieri animadvertisset, fugisse dicit. Praeterea cf. § 23 de sermone Apollinis quod legitur (et antea de lingua deorum). § 25 Laium Oedipodem non exposuisse, paulo post exposuisse dicit (nisi hoc loco Dio peccavit in sermone reddendo). Quid quod § 31 aenigmatis solutionem ab Oedipode non factam esse exponit!

[2]) Quod Solo in Luciani Anacharside athletarum studia defendit, quamvis ab eius sententia a Diodoro (fr. XI 5) servata abhorreat (v. Norden l. c. 299), non ita mirabimur, cum in hoc dialogo Solo utpote Scythae aequalis et cum eo consuetudine quadam coniunctus Anacharsidi contrariam sententiam defendat. Nam quis alius Anacharsidis aequalis, qui idem notus erat, cum Scytha disputans induci potuit? Scytha antem a posteris Cynicus factus est (cf. Heinze, Philol. 50, 458 sq.), itaque recte athletarum studia perstringit.

nicorum tum ex Diogenis ipsius more dicta sunt: ἔκστηθι, ὦ ἄθλιε [1]), τῆς ταλαιπωρίας καὶ λῆξον τοῦ τύφου . . . καὶ φράσον ἐπὶ τίνι δὴ μέγα φρονῶν [2]) κατέστεψαι μὲν κ. τ. λ. Diogenis consuetudinem fuisse hominum studia spectare, imprimis quibusnam rebus gauderent et gloriarentur, ex Dione compertum habemus VIII 6 εἰώθει γὰρ ἐπισκοπεῖν ἐν ταῖς πανηγύρεσι τὰς σπουδὰς τῶν ἀνθρώπων καὶ τὰς ἐπιθυμίας καὶ ὧν ἕνεκα ἀδημονοῦσι καὶ ἐπὶ τίνι μέγα φρονοῦσι . . . De Diogenis alios redarguendi consuetudine conferas (ad ep.) Dion. IX 8 τοὺς δὲ σεμνοὺς εἶναι βουλομένους καὶ μέγα φρονοῦντας ἐφ' αὐτοῖς διὰ πλοῦτον ἢ γένος ἢ ἄλλην τινὰ δύναμιν, τούτους μάλιστα ἐπίεζε καὶ ἐκόλαζε πάντα τρόπον, adde § 21, VIII 5 fin., 10 fin. — § 2 cum Cicermum Diogenes interrogat, num Cicermium vicisset, id sensu caret, si non translata vi intellegitur, scil. num se ipsum, [3]) i. e. vitia sua superasset, quod a Cynicorum ratione minime abhorret. — In fine epistulae verba, quibus Diogenes victorem adhortatur, ut vitam cynicam deligat — cuius rei apud Dionem (IX 14—21) omnino nulla mentio fit — doctrinam Cynicorum etiam in singulis produnt. ἔα γοῦν ταῦτα τὰ πολλὰ χαίρειν καὶ ἀγωνίζου μὴ παγκράτιον μηδὲ πρὸς ἀνθρώπους, ὧν χείρων ἔσῃ μετ' οὐ πολὺ εἰς γῆρας ἀφικόμενος, ἧκε δὲ ἐπὶ τὰ ὄντως καλὰ καὶ μάθε μὴ ὑπὸ ἀνθρωπίων τυπτόμενος καρτερεῖν, ἀλλ' ὑπὸ τῆς Τύχης, [4]) μηδ' ἱμᾶσι μηδὲ πυγμαῖς, ἀλλὰ πενίᾳ . . . ἀδοξίᾳ . . . δυσγενείᾳ . . . φυγαδείᾳ· τούτων γὰρ ἀσκήσας καταφρονεῖν μακαρίως μὲν ζήσεις . . . .: ἀδοξίαν Cynici non solum non in malis habuerunt, sed etiam bonum esse censuerunt, cf. praeter nonnullos locos a Nordenio allatos (18, 340 adn.) Menandri versus de Monimo D. L. VI 83, Epict. I 30, 2; II 1, 10 et 35; IV 19, 18; ep. Socr. 9 (Aristippi ad Antisthenem) § 3 fin. — Neque δυσγένειαν Cynici curaverunt, quorum nonnulli ut Antisthenes (Zeller II 1 [4], 281 adn. 1) et Bio δυσγενεῖς fuerunt, cf. Bionem apud Laer-

---

[1]) De hoc vocabulo, ut videtur, a Cynicis iocantibus usurpato cf. Norden l. c. 18, 299 sq.. adde [Luc.] Cyn. 17 . . . . διότι ἄθλιός εἰμι, ὑμεῖς δὲ διὰ τὴν εὐδαιμονίαν οὐδενὶ τῶν γινομένων ἀρέσκεσθε.

[2]) Cf. quod Diogenes in Luciani dial. mort. 24 init. Mausolum adfatur Ὦ Κάρ, ἐπὶ τίνι μέγα φρονεῖς;

[3]) Cf. similem sententiam apud Senecam ep. 88, 19 (ap. Norden l. c. 18, 302), adde Dion. IV 56.

[4]) Sic cum Cobeto (Mnemosyn. n. s. 10, 50) sine dubio restituendum (Schafstaedt l. c. p. 33, 1), ad rem autem cf. illum Panaetii apud Gellium locum (XIII 28, 3—4) (sapientem scil. virum) esse oportet animo prompto semper atque intento, ut sunt athletarum, qui pancratiastae vocantur; § 4 „ita animus et mens viri prudentis — consilia cogitationesque contra Fortunae verbera protendens“ cf. etiam Sen. ep. 13, 1.

tium IV 51 τὴν δυσγένειαν [1]) ἔλεγεν εἶναι πονηρὸν σύνοικον τῇ παρρησίᾳ, quae verba „in Bionis diatriba legebantur, sed ideo prolata, ut refutarentur" (Persuasit mihi Hense, Tel. p. LXX—LXXI, cf. eundem p. LVIII sq.) cf. etiam Diogenem ap. Dionem IX 8. Recte Weber (p. 137, 2) Cynicos εὐγένειαν non ex genere, sed ex virtute pependisse animadvertit. — In universum quam saepe philosophi Cynici Stoicique cum athletis se comparaverint, vide apud Norden l. c. 18, 300 sq., cf. etiam similem comparationem ap. Dion. VIII 19 fin. De Diogene ipso cf. Dion. VIII 12 sq. (IX 11—12), quos locos infra accuratius examinabo. — Quod in fine epistulae de animo athletae mutato narratur, ut iam vidimus, cum § 21 Dionis orationis IX consentit: tales animi subitas conversiones a Diogene perfectas esse traditum fuisse videtur. Cf. etiam ep. 2, [2]) imprimis ep. 38 fin. Iam illa traditione, quam „Diogeneslegende" vocamus, forsitan talia celebrata sint. — Ut nunc de Dionis orationis parte (§ 14—21) quae animadvertenda sint dicam, Dionem non ipsum excogitasse comparationes hominum cum bestiis eo consilio factas, ut eas viribus multo superiores hominibus esse demonstraretur, (atque hominibus nihil esse cur celeritate gloriarentur), sed ex Cynicorum Stoicorumve doctrina has sententias desumptas esse ex eis, quae Norden l. c. 18, 303 sq. egregie demonstravit, apparet. Illa quoque sophistica de Hercule et Achille plane mira aliunde Dionem sumpsisse mihi persuasum est.

Pergamus ad ep. 36., quae initium quidem a dicto quodam Diogenis [3]) capit, sed tamen hoc tantum dicto epistolographum adductum esse, ut Diogenem talia contra illos de Hercule versus disserentem faceret, mihi persuadere non possum, praesertim cum ratio disputandi plane eadem atque in ep. 31. sit. Sin autem quis putat, Diogenem Cynicum illos de Hercule versus, qui Cynicorum patronus fuit, insectari non potuisse, ei non obliviscendum est Diogenem ipsum Herculem in paegnio irrisisse. [4]) Atque ut in eo

---

[1]) Sic cum Menagio et Hensio, non cum Welckero et Wachsmuthio (l. c. p. 70, 3) εὐσέβειαν legendum.

[2]) Nam quae in epistula de adulescentium animo mutato legimus, ab auctore Polemonis ad virtutem revocati reminiscente illi Diogenis dicto adiuncta esse, ut Boissonadius (p. 142) opinatus est, vix puto. — Ceterum non cum Webero (p. 209, 3) Diogenem adulescentibus illud respondentem (οὗτος ὁ κύων . . . .) proverbio usum esse consentio, quia responsio Diogenis in nullam nisi in hanc occasionem quadrat.

[3]) Cf. D. L. VI 39, Clem. str. vol. III p. 271 Dind., Theodoret. VI (cf. Menag. ad D. L. l. c.)·

[4]) Quod Weber feliciter indagasse videtur (p. 149 sq.), cf. etiam Dümmler, Akademika 205 sq.

fortasse irrisio non in Herculem ipsum, sed in sententias de immortalitate metaphysicas cadit (cf. Dümmler, Akademika 205 sq.), sic hic quoque non Herculem, sed illam Cyzicenorum consuetudinem Diogenes irridet. (Haud scio an illa Herculis irrisio in epistula πῶς δὲ ὁ Ἡρακλῆς εἷς ὢν ἐν τοσαύταις δύναται παροικεῖν οἰκίαις; ratione aliqua cum illa Diogenis in paegnio de Hercule cavillatione cohaereat, ita ut propter hanc similitudinem nobis hanc de Hercule versuum irrisionem ad Diogenem ipsum redire fortasse putare liceat, sed de hac re nihil certi sciri posse libenter concedo.) — Diogenes igitur pro Hercule Paupertatem portis inscribi iubet, [1]) qua re ille, quocum colloquitur, prorsus obstupescit, quoniam paupertatem in malis habet. Quam ob rem Diogenes ei paupertatem minime malum esse argumentis, quae ex Cynicorum litteris desumpta sunt, demonstrat. [2]) At sane a Cynicorum doctrina abhorret quod de Hercule § 6, ut ei obtrectet, serio exponit. Quem inde ab Antisthenis temporibus Cynicorum exemplar fuisse notum est, sed epistolographus et Herculis veram vim atque potestatem et ab Antisthene illi tributam plane ignorasse videtur. — § 7 Cyziceno Diogenes ut Herculis nomen deleat, cum persuadere non possit, eum Iustitiam

---

[1]) Quod epistolographus non ipse excogitavit, Paupertatis persona iam s. IV a. Chr. ficta (cf. e. g. Plat conviv., Aristoph. Plut.).

[2]) Paupertatem neque famem neque frigus neque contemptum secum ferre, quoniam multa ex terra nascerentur, quibus fames frigusque expellerentur; neque enim bestias ratione carentes frigore laborare. Quod Cyzicenus ea re refellere conatur, quod bestias ita, ut talia tolerarent, natura instructas esse, homines autem alia condicione uti dicit. Diogenes respondet: homines ratio ita armat, sed plerique propter mollitiem se hoc animadvertere dissimulant. — Quibuscum sententiis cf. Diogenem ap. Dion. VI 26—7, Musonium ap. St. fl. I 37 M., Max. Tyr. II p. 5 l. 43—4 Dübn. — Pergit Diogenes „ἀλλ' εἰσὶ καὶ ἐνθάδε ἐπίκουροι αἵ τε δοραὶ τῶν ζῴων καὶ τὰ νάκη τῶν προβάτων καὶ οἱ τοῖχοι τῶν σπηλαίων καὶ τῶν οἴκων cf. ep. 33, 3 (qui locus tam similis est, ut eum ex plane eodem fonte aut eiusdem auctoris calamo fluxisse concludendum sit), adde Bionem (ap. Tel. p. 4, 9—10 H.), qui Paupertatem ipsam loquentem inducit, Max. Tyr. 36, 5 p. 143, 27 D.; Dion. IV, 13. — Tum paupertatem nullum contemptum sequi exemplo Aristidis Socratisque demonstrat. Plane eodem consilio Aristidis exemplum a Telete adhibetur (p. 36, 8 sq. in diatriba περὶ πενίας). Cf. etiam Musonium ap. St. fl. II 73, 10 M, qui exsilium nullum contemptum sequi (ut Teles in diatriba περὶ φυγῆς p. 15 sq.) exponit. — Praeterea graviora mala paupertate expelli φθόνους, μίση, συκοφαντίας, τοιχωρυχίας, ἀπεψίας, στρόφους; de invidia cf. ad ep. 28, 1 (supra p. 26), de συκοφαντίᾳ ep. 34, 3; Max. Tyr. 36 p. 143, 11; invicem de Demonacte [Luc.] Demon. 11; τοιχωρυχίας: cf. Teles (32, 14 sq.) de regibus quae dicit: οὐδὲν ἧττον σπανίζουσιν, ὥστε καὶ τυμβωρυχεῖν καὶ ἱεροσυλεῖν, quae ad Antisthenis in Xenophontis convivio verba de tyrannis dicta (IV 36) δι' ἔνδειαν μὲν γὰρ δήπου οἱ μὲν κλέπτουσιν, οἱ δὲ τοιχωρυχοῦσιν redire videntur.

pro Paupertate domui inscribere iubet. Quod sine dubio (ut tota § 7) ab auctore ipso excogitatum est. Nam quod suadet, ut Paupertas domui inscribatur acumen quoddam habet, haec nullum. — De Ulixe dormiente cf. Boissonadium p. 252, 1; Xen. anab. V 1, 2. Crat. ep. 19.

Nunc tandem, quaenam ratio inter epistulas et Dionem intercedere videatur, accuratius quaeramus. Loci autem, qui inter se comparati alicuius momenti esse possunt, sunt hi (ep. 10 cf. cum or. I § 62, 65, 82; ep. 44 [1]) cum or. VI 17—20) ep. 12 conferas cum or. VIII. Ibi de plerisque (τοῖς πολλοῖς) Diogenes dicit: ἔα οὖν τούτους ταῖς ἡδοναῖς συγκαθεύδειν: hic (§ 22—23) Diogenes de voluptate . . . . . καθεύδειν, ἀλλὰ μάλιστα δὴ πάντων τότε ἐπιτίθεται τὰ μὲν αὐτῷ τῷ ὕπνῳ μαραίνουσα καὶ δουλουμένη, tum in epistula pergit: si illi ita vivunt, eos non is labor, propter quem nos calumniantur, excipiet, ἀλλ' ὁ μείζων, δι' ὃν (sic P) πάσῃ περιστάσει δουλεύουσιν αἰσχρῶς: Diog. ap. Dion. § 26 ἡ γὰρ ἡδονὴ κρατήσασα αὐτῶν καὶ παραλαβοῦσα τοῖς πόνοις παραδίδωσι τοῖς ἐχθίστοις καὶ χαλεπωτάτοις; ep. σπούδαζε κατ' ἴσον ἡδονῇ ἀντιτάττεσθαι καὶ πόνῳ —: Diogenes apud Dionem VIII longiore oratione de hac duplici pugna disserit (§ 11—26). — Deinde cf. ep. 31, 4 quod Diogenes Cicermo dicit μάθε μὴ ὑπὸ ἀνθρωπίων τυπτόμενος καρτερεῖν, ἀλλὰ πενίᾳ . . . ἀδοξίᾳ . . . . φυγαδείᾳ: Diog. ap. Dion. VIII 16 πενίαν δὲ καὶ φυγὴν καὶ ἀδοξίαν καὶ τὰ τοιαῦτα μηδὲν ἡγεῖσθαι δεινὸν αὐτῷ . . . . (cf. IX 12).

Quae ratio inter epistulas et Dionem intercedat.

Imprimis cf. ep. 36, 5, ubi de paupertate disserens Diogenes personatus dicit: „πολλά τε ἐν τῇ γῇ φύεται, δι' ὧν ὅ τε λιμὸς θεραπεύεται τό τε ψῦχος ‹πραΰνεται vel tale quid supplendum videtur›, ἐπεὶ οὐδὲ τὰ ἄλογα γυμνὰ ὄντα αἰσθάνεται ψύχους“. „ἀλλὰ τὰ μὲν ἄλογα οὕτως ἡ φύσις“ εἶπεν „ἐποίησεν“. „ἀνθρώπους δὲ ὁ λόγος οὕτως ποιεῖ“ ἔφη „ἀλλ' οὐ προσποιοῦνται πολλοὶ συνιέναι διὰ μαλακίαν“, cf. Diog. ap. Dion. VI 26: ἐπεὶ δὲ ἔλεγόν τινες οὐ δυνατὸν εἶναι ζῆν τὸν ἄνθρωπον ὁμοίως τοῖς ἄλλοις ζῴοις διὰ τὴν ἁπαλότητα τῶν σαρκῶν καὶ διότι ψιλός ἐστιν, οὔτε θριξὶν σκεπόμενος ὥσπερ τὰ πολλὰ τῶν θηρίων οὔτε πτεροῖς, οὐδὲ δέρμα ἰσχυρὸν ἀμπέχεται, πρὸς ταῦτα ἀντέλεγεν οὕτως μὲν σφόδρα ἁπαλοὺς εἶναι διὰ τὴν δίαιταν . . . Tum cf. ep. 37, 4 cum or. X 10: ibi luxuriam et servos Lacydis vituperans pronuntiat θέραψ δὲ οὐδὲ εἷς ἔστω ἐνταῦθα διακονούμενος· ἀποχρήσουσι γὰρ αἱ χεῖρες ἐς τοῦτο, καὶ γὰρ τούτου ἕνεκα ἡμῖν προσετέθησαν ὑπὸ τῆς φύσεως: Diogenes ap. Dion. l. c. cum servos habere inutile et molestissimum esse exponit: οὐκ

---

1) Cf. Schafstaedt l. c. p. 39.

οἶσθα ὅτι τὸ σῶμα ἡ φύσις ἑκάστῳ ἐποίησεν ἱκανὸν εἶναι πρὸς τὴν ἑαυτοῦ θεράπειαν; πόδας μὲν ὥστε ἀπιέναι, χεῖρας δὲ ὥστε ἐργάζεσθαι καὶ τοῦ ἄλλου σώματος ἐπιμελεῖσθαι. Postremo cf. quod in ep. 38, 1 de se narrat, cum Olympiae versatus sit: διέτριβον ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἵνα ὁ ἄλλος ὅμιλος, καὶ περιιὼν ἄνω κάτω προσέσχον ὁτὲ μὲν τοῖς πωλοῦσιν, ὁτὲ δὲ τοῖς ῥαψῳδοῦσιν ἢ φιλοσοφοῦσιν ἢ μαντευομένοις cum Dione VIII 9: (cum Diogenes Corinthi Isthmia spectaret) καὶ δὴ καὶ τότε ἦν περὶ τὸν νεὼν τὸν Ποσειδῶνος ἀκούειν πολλῶν μὲν σοφιστῶν κακοδαιμόνων . . . . καὶ τῶν λεγομένων μαθητῶν, πολλῶν δὲ συγγραφέων ἀναγινωσκόντων ἀναίσθητα συγγράμματα, πολλῶν δὲ ποιητῶν ποιήματα ᾀδόντων, πολλῶν δὲ τερατοσκόπων τέρατα κρινόντων, οὐκ ὀλίγων δὲ καπήλων διακαπηλευόντων ὅ, τι τύχοιεν ἕκαστος.[1])

Egregius sane et non casui tribuendus consensus. Sed quid inde sequitur? Quoniam apud utrumque scriptorem [2]) Diogenes ipse tam similia vel potius eadem profitetur, sine dubio sequitur, ut uterque ex eodem fonte hauserit. [3]) Qui aut sermones, in quibus Diogenes cum alio disputaret, aut diatribae, quae sub Diogenis ipsius nomine ferebantur, fuerunt, in quibus Diogenes talia dissereret. Utrum hi sermones s. diatribae re vera a Diogene ipso compositae an ab eo habitae a discipulo litteris mandatae sint, in suspenso relinquendum est.

Quibus fontibus Dio in orationibus Diogeneis usus sit.

Ex re autem esse videtur nonnulla de fontibus dicere, quibus Dio in illis orationibus usus sit, quoniam tam saepe locos ex eis attuli. Sunt orationes VI, VIII, IX, X (IV et I.). In or. VI quanquam nonnulla e Xenophonte desumpta esse videntur (e. g. cf. Mem. II 1, 30, Conviv. IV 41 cum Dion. § 11—12), tamen Dionem fonte quodam de Diogene usum esse, in quo Diogenes ipse talia ut in or. VI dissereret, manifestum esse puto. [4]) Cf. etiam Weber 104 sq. Neque aliter de or. VIII (et IX) statuendum esse censeo,

---

[1]) Reliquae similitudines nullius momenti esse possunt (ep. 10, 2: or. VIII 35; ep. 23: or. IV 11; ep. 28, 5: or. VIII 26; ep. 29, 2: or. IV 64; ep. 32, 1: or. VI 14; ep. 33, 2: or. IV 11).

[2]) Eas epistulas, ex quibus locos attuli, eiusdem scriptoris esse supra vidimus (p. 16 sq.).

[3]) Nam neque auctorem Dione neque Dionem auctore epistularum usum esse demonstrari potest; iam Weber recte hoc animadvertit et exposuit; Dio multa habet, quae in epistulis omnino non leguntur, et haud pauca in epistulis insunt, quae ex Dione nullo modo hauriri potuerunt. E. g. cf. illam Herculis in ep. 36. obtrectationem, quam epistolographus, si Dionis orationes I et VIII cognitas habuisset, sine dubio Diogeni non attribuisset.

[4]) Obiter tantum hoc loco de Dionis his orationibus agere licet, in quas post Weberum accuratissime inquirere operae pretium esset.

etsi in singulis indagari non potest *„quid ex auctoribus cynicis, nedum quid ex Diogenis diatribis“* Dio sumpserit (Norden 18, 299). Sed tali fonte Dionem usum esse confidenter contendo. Conferas quaeso Epictetum I 24, 6—9 . . . Διογένης . . . . λέγει, ὅτι ὁ θάνατος οὐκ ἔστι κακόν . . . λέγει, ὅτι εὐδοξία ψόφος ἐστὶ μαινομένων ἀνθρώπων· οἷα δὲ περὶ πόνου, οἷα δὲ περὶ ἡδονῆς, οἷα δὲ περὶ πενίας εἴρηκεν κτλ. III 22, 60 iterum de Diogene dicit ἄγε περὶ πενίας δὲ τί λέγει; περὶ θανάτου; περὶ πόνου; πῶς συνέκρινε τὴν εὐδαιμονίαν τὴν ἑαυτοῦ τῇ μεγάλου βασιλέως, μᾶλλον δὲ οὐδὲ συγκριτὸν ᾤετο εἶναι (cf. Dionis or. VI!). Ceterum apud Dionem Diogenes neque de paupertate neque de εὐδοξίᾳ neque de morte disserit. — Vel his locis demonstratur, talia scripta, in quibus Diogenes ipse dissereret et quae sub eius nomine ferrentur, illis temporibus nota fuisse. Accedunt vero loci, ex quibus Epictetum scripta sub Diogenis nomine cognita habuisse appareat: IV 1, 152 sq. Διογένης ἦν ἐλεύθερος κτλ. (156) τοιγαροῦν ὅρα τί λέγει αὐτὸς καὶ γράφει et quae sequuntur. Adde IV 1, 29—31 οὕτω καὶ Διογένης που λέγει καὶ . . . . γράφει. Quid quod (multo ante Dionem et Epictetum) Cicero in Tusculanis (V 32, 92) — ubi haec de Diogene inveniri vix quisquam suspicabitur — de eo scribit: „Et hic quidem disputare (sic!) solebat, quanto regem Persarum vita fortunaque superaret; sibi nihil deesse, illi nihil satis unquam fore; se eius voluptates non desiderare, quibus nunquam satiari ille posset, suas eum consequi nullo modo posse“.

Inde Dio qualem fontem in oratione VI conscribenda adhibuerit, optime apparet. Num magis perspicue diatriba significari potest? Est autem Ciceronis locus — ut videtur, adhuc neglectus ab omnibus — in quaestione de Dionis Diogeneis orationibus (quibusnam fontibus in eis componendis usus sit) summi momenti. Ciceronis igitur temporibus vel potius auctoris illius Graeci, [1]) ex quo haec desumpserit, scripta talia (diatribas — a discipulo Diogenis litteris mandatae esse possunt —) sub Diogenis nomine lata esse apparet.

Is autem, qui accurate Ciceronis haec verba cum eis, quae Diogenes apud Dionem in or. VI exponit, comparaverit, Diogenem etiam plura, quae apud Dionem non legimus, de hac re disseruisse veri simile putabit. (Cf. verba ap. Cic. „illi nihil satis unquam fore (se eius voluptates non desiderare) quibus nunquam satiari ille

---

1) Secundum Usenerum Epicurea p. LVII Cicero Antiochum Ascalonitam, qui Posidonii protrepticum secutus erat, extrema disputatione Tusculana V 29, 83—41, 120 expressit. Alii alia suspicati sunt, sed ita, ut non multo antiquiorem ab eo exprimi scriptorem consentiant.

posset, ... suas eum consequi nullo modo posse"). Dio autem in altera orationis VI. parte (§ 35 sq.) multa de suis addidisse videtur.

At orationis IV ratio plane est alia. Nam re vera non multa in ea insunt, quae cum probabilitate quadam ad Cynicos referri possint.[1]) Illam vero trium vitarum vel daemonum descriptionem, qui βίον φιλήδονον, φιλοχρήματον, φιλόδοξον (s. φιλότιμον) significant, minime Cynicis, nedum Diogeni, Dionem debere mihi persuasum est, qua de re Weberum p. 160—61 errasse censeo. Re autem vera illa orationis pars (§ 82—138) artiore sententiarum conexu cum eis, quae antecedunt, omnino non cohaeret, nam quo tandem modo trium illorum daemonum descriptio (nisi τοῦ φιλοτίμου) ad Alexandrum pertinet? In fine autem orationis § 139 (quae paragraphus primo obtutu cuipiam a postero addita videri potuerit) Dio prorsus oblitus esse videtur se Diogenem loquentem fecisse.

De or. I hic tantum dico, in illa eius parte § 59—65 vestigia Antistheneae doctrinae inesse videri. Num autem Dio in eis quoque quae sequuntur (§ 66—83) Antisthenem adhibuerit (Weber 249), in suspenso nobis relinquendum est.

De Maximi Tyrii diss. 36.

De Maximo Tyrio quoque strictim pauca mihi dicere liceat. Qui cum nonnullis aliis locis, tum in diss. 36, de vita cynica et de Diogene verba facit. In hac quidem dissertatione eum Dionis vestigia (or. VI imprimis) sequi manifestum est, quippe quem nonnullis locis verbo tenus reddat, neque ullo pacto de hac re dubitari potest, etsi Weber (p. 122 adn.) Maximum, cum aetatem ferream cum carcere compararet (p. 187 R), Dione (VI p. 216) usum esse, deinde Dionis tres daemones in comparatione hominum duorum Saturni et ferreae aetatis imitatum esse sine dubio non recte putavit. De diss. autem 36. nihil praeterea affirmo, nisi eam multis locis colorem cynicum habere.

Ut breviter, quae demonstrasse mihi videor, complectar, Dio et epp. 30, 31 etc. et 3, 9—12 etc. ad fontes antiquiores redeunt, qui partim diatribae sub Diogenis nomine — nam diatribas tales dissertationes (ut ap. Dion. VI, VIII) vocare licet — fuerunt; huius generis ep. 10, 12, 44 sunt, atque in epistulis quoque 33 et 36 haud pauca ex his diatribis desumpta esse videntur, cf. etiam ep. 38, 3[2]) —

---

[1]) Quanquam oratio cum haud paucis aliis locis, tum in initio (§ 1—11) colorem quidem cynicum habet, sed Dio litteras cynicas cum haud ignoraverit, ipse orationem ita exornasse putandus est.

[2]) καὶ πολλάκις μὲν διαλεγομένου μου περὶ καρτερίας .... cf. locos Origenis et Galeni apud Bernaysium, Luk. u. d. Kyn. p. 93, 13 et p. 15. Quibus ex tribus locis hoc vocabulum de Cynicorum dissertationibus usurpatum esse apparet.

partim sermones vel colloquia (dialogos appellare vereor), ut ep. 31, Dion. or. IX 14—21, ep. 36, Dion. X, (ep. 35; 37; in ep. 30 colloquium ab auctore ipso compositum est) fuerunt, in quibus Diogenes cum alio disputaret s. eum increparet vel refutaret.

II.

De Cratetis epistulis multo brevius agere licet, quippe quae multo minoris pretii sint quam Diogenis epistulae. Has quoque spurias esse[1]) adeo apparet, ut Boissonadius, qui id accuratius demonstravit (l. c. XI, 2. 1827), prorsus supervacaneam operam impendisse videatur.

De auctoribus.

Primum igitur quaeramus, num omnes ab eodem auctore scriptae sint. In his autem res aliter atque in Diogenis epistulis se habet: sunt enim praeter paucas, in quibus scriptor aut aliquid narrat (20, 34) aut in alios homines invehitur (7, 24, 25), omnes eiusdem generis, scil. παραινετικαί, atque omnium genus dicendi praeter unam, 35., fere idem est. Hanc, in quam infra accuratius inquiram, a ceteris plane secernendam esse iam Marcksius p. 17 sq. exposuit. Praeterea hoc loco de nonnullis dicendum est, inter quas mira similitudo intercedit.

Ep. 26.

Τοῖς αὐτοῖς. (Atheniensibus.)

Μὴ θαυμάζετε, εἰ Διογένης πάντα τοῦ σπουδαίου εἶναι λέγων προσιὼν οὐκ ᾔτει ὑμᾶς, ἀλλ' ἀπῄτει. οὐ γὰρ ὅτι τοῦ θεοῦ πάντα ἐστὶ θαυμάζετε, ἀλλ' ὁμολογεῖτε, κἂν τις ὑμᾶς κατ' ὄναρ ἐμπελάσας θῦσαι προστάττῃ, αὐτῷ θύετε καὶ οὐ λέγετε μεταιτεῖν τὸν Ἥλιον ὑμᾶς, ἀλλὰ τὰ αὑτοῦ ἀπαιτεῖν· ἔπειτα τοῦ θεοῦ λέγοντες πάντα οὐκ ἀσχάλλετε, ὅταν τι ἀπαιτῆσθε ὑπ' αὐτοῦ. τὸ αὐτό ἐστι καὶ ἐπὶ τοῦ σπουδαίου. πάντα λέγετε τοῦ θεοῦ καὶ κοινὰ τὰ τῶν φίλων καὶ φίλον τῷ θεῷ μόνον τὸν σπουδαῖον, ἀλλ' ὅταν ἀπαιτήσῃ παρά τινος ὑμῶν τὸν ὀβολὸν, ὡς τὰ αὑτῶν μεθιέμενοι συμφοράζετε.

---

[1]) Eorum quoque hominum, quibus hae epistulae mittuntur, haud pauci nobis ignoti sunt, ut Ἑρμαΐσκος (ep. 4), Μνασώ (ep. 9), Ὠριγένης (sic ep. 12 in A V ha hb inscribitur, in N Ὠρίωνι: nomen a. Chr. n. non inveniri videtur), Εὔμολπος (ep. 13: nomen apud Atticos saepe usurpatur). — Πατροκλῆς (ep. 19) (Wil. epistulam Μητροκλεῖ inscriptam fuisse censet), Γανυμήδης (ep. 23), de eo cui ep. 35 mittitur, v. infra p. 55, Δεινόμαχος (36).

Ep. 27.

Τοῖς αὐτοῖς.

Διογένης ὁ κύων ἔλεγε πάντα τοῦ θεοῦ καὶ κοινὰ τὰ τῶν φίλων ὥστε πάντα εἶναι τοῦ σπουδαίου καὶ τὸν τούτων τι τῶν λημμάτων ἐκ τοῦ λόγου ἀθετοῦντα ὅρκια συγχεῖν οὐ τὰ Ἀχαιῶν καὶ τῶν Τρώων, ἀλλὰ τὰ τοῦ βίου, ὥστε πειθόμενοι τῷ λόγῳ μὴ χαλεπαίνετε, ὅταν αἰτῆσθε παρὰ τῶν σπουδαίων τὸ τριώβολον· οὐ γὰρ τὰ αὑτῶν, ἀλλὰ τὰ ἐκείνων ἀποδίδοτε.

Quibus epistulis statim duas alias addo, 30 et 32:

30.

Τῇ αὐτῇ. (Hipparchiae.)

Ἔπεμψά σοι τὴν ἐξωμίδα ἣν ὑφηναμένη μοι ἔπεμψας, ὅτι ἀπαγορεύεται τοῖς καρτερίᾳ χρωμένοις τοιαῦτα ἀμπέχεσθαι, καὶ ἵνα σε τούτου τοῦ ἔργου ἀποπαύσαιμι, εἰς ὃ πολλῇ σπουδῇ ἐξῆλθες, ἵνα τις δόξῃς φίλανδρος τοῖς πολλοῖς εἶναι. ἐγὼ δὲ εἰ μὲν διὰ ταῦτά σε ἠγόμην, εὖ γε ποιεῖς καὶ αὐτὴ διὰ τούτων ἐπιδεικνυμένη μοι· εἰ δὲ διὰ φιλοσοφίαν, ἧς καὶ αὐτὴ ὠρέχθης, τὰ τοιαῦτα σπουδάσματα ἔα χαίρειν, πειρῶ δὲ εἰς τὰ κρείττω τῶν ἀνθρώπων τὸν βίον ὠφελεῖν. ταῦτα γὰρ ἔμαθες καὶ παρ' ἐμοὶ καὶ παρὰ Διογένει.

32.

Τῇ αὐτῇ.

Ἧκόν τινες παρὰ σοῦ κομίζοντες ἐξωμίδα καινήν, ἣν ἔφασκον ποιῆσαι σε, ἵνα ἔχοιμι εἰς τὰ χειμάδια. ἐγὼ δὲ ὅτι μέν σοι μέλω, ἀνεδεξάμην σε, ὅτι δὲ ἔτι ἰδιωτεύεις καὶ οὐ φιλοσοφεῖς, εἰς ὅ σε προυτρεψάμην, μέμφομαι. ἔτι οὖν καὶ νῦν ἐπάνηκε, εἴ σοι ὄντως μέλει καί οὐ καλλωπίζῃ ἐπὶ τούτῳ, καὶ σπούδαζε δι' ἃ ἐπεθύμησας ἡμῖν συνελθεῖν πρὸς γάμον ταῦτα πράττειν, ταλασίας δὲ τὰς μικρὰς ὠφελείας ἔα ποιεῖν ταῖς ἄλλαις γυναιξίν, αἳ μηδενὸς τῶν αὐτῶν σοι ὠρέχθησαν.

Ei igitur, qui has epistulas ab eodem auctore scriptas esse putat, id quidem sine dubio concedendum est, eas non ad cynismum divulgandum, sed a rhetore exercitationis causa scriptas esse, qui eandem rem duplici modo tractavit. Sed ne hoc quidem refugium relinqui puto. Nam rhetorem eandem rem tam simili modo, scil. paene eisdem verbis, tractasse equidem mihi nullo modo persuadere possum. Stupidissimus homo, puto, qui omni arte scribendi careret, adeo similiter rem non exposuisset. Itaque et epistulam 26 ab eodem atque 27 et epistulam 30 ab eodem atque 32 scriptam esse

nego. (Ad epistulas igitur 26 et 27 scribendas auctores eodem syllogismo usi sunt, quem iam in Diogenis ep. 10 explicatum vidimus. Epistularum autem 30 et 32 fons dictum Cratetis vel simile quid fuisse potest.) Quod si rectum est, alter alterius epistulam sine mente ac ratione imitatus est. Sin autem quaerimus, quaenam epistulae priores sint, ep. 26. ante 27. scripta esse videtur[1]) atque 32 forsitan post 30. scripta sit.[2]) — Fortasse his ep. 36. addenda est, quam ab eodem atque ep. 2, in qua idem praecipitur, aut 22., quacum id, quod in ep. 36. legitur, quodammodo pugnat, scriptam esse vix putaverim. Neque epistulae 28 et 29 eiusdem auctoris esse videntur. In utraque Crates Hipparchiam adhortatur, ut in cynismo perseveret, quoniam feminae viribus non inferiores sint.[3]) Quodsi ep. 29 ab alio atque 28. scripta est, fortasse illa posterior est, sed nihil certi de hac re affirmari potest. Etiam de ep. 34 rem in suspenso relinquere malo, cuius auctorem alio atque ceteros omnes fonte usum esse infra videbimus.

Itaque epistulas 27, 32 (36? 29? 34?) ad eundem scriptorem atque ceteras referendas esse nego. Ceteras autem praeter 35. eidem auctori tribui posse vel potius tribuendas esse vix quisquam negabit. Nam si nonnullae epistulae eisdem s. similibus verbis incipiunt,[4]) quarum sententiae satis differunt, ex hac re nullum argumentum contra hanc sententiam repetere licet, nam auctor, qui sine dubio ingenio non abundavit, eodem initio iterum uti non dubitavit. Itaque epp. 1—26, 28 (29?) 30, 31, 33, (34?) (36?) uni, 27 et 32 alii, 35 alii auctori tribuendae sunt.

Nunc de aetate epistularum disseram. Quae una quidem re satis definita est, quod eas post Diogeneas scriptas esse constat. Nam, ut Boissonadius animadvertit, in ep. 8 Crates personatus epistulae 9. Diogenis respondet. (cf. quod in hac Diogenes, qui De aetate.

---

1) 27 fortasse paulo ineptius scripta est.

2) In ep. 32 de tunica nova Crates dicit (et illa enuntiata condicionalia (εἰ μέν — εἰ δέ) fortasse prius causalibus (ὅτι μέν — ὅτι δέ) excogitata sunt. Praeterea in epistulae 30. fine rem ipsam non appellat (quod H. tunicam ei texuit), sed dicit τὰ τοιαῦτα σπουδάσματα κτλ., in ep. autem 32. ταλασίας δὲ τὰς μικρὰς ὠφελείας ἕα ποιεῖν ταῖς ἄλλαις γυναιξίν.

3) Ceterum cf. Antisthenis sententiam apud D. L. VI 12 ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἡ αὐτὴ ἀρετή. Praeterea cf. Musonii diss. (St. fl. IV 212 M), qui hanc sententiam accuratius exponit praeter alia eisdem exemplis Amazonum et canum (ut in ep.) usus.

4) Cf. ep. 2 Μὴ πάντας αἰτεῖσθε τὰ ἀναγκαῖα μηδὲ παρὰ πάντων τὰ διδόμενα δέχεσθε cum 22 Μὴ πάντας αἴτει μηδὲ παρὰ πάντων ..., deinde 14 Ἐθίζεσθε ... καὶ πίνειν ὕδωρ cum 18 Ἐθίζεσθε ... καὶ πίνειν ὕδωρ ..., tum 21 Ἕως ἂν φοβῇ τὸν κύνα cum 23 Ἕως ἂν φοβῇ τὸν τρίβωνα ..., denique in ep. 2 et in ep. 14 καὶ ὑμῖν ἔξεσται legimus.

Athenis versatur, Crateti, qui rem familiarem civibus donavit itaque se ipsum liberavit, scribit: admiror te, quod citius quam exspectaveram, κρείττων ἐγένου τῶν δοξῶν. ἀλλὰ διὰ ταχέων ἐπάνηκε κτλ. cum ep. Crat.: ἀπὸ μὲν δὴ τοῦ πλούτου ἤδη ἐλευθεριάζομεν, ἡ δὲ δόξα ἡμᾶς οὐδέπω ἔτι καὶ νῦν μεθίεται τῆς δουλείας . . . . ἄλλως δὲ καὶ τῆσδε ἐμαυτὸν δεσποίνης λυτρώσομαι καὶ σπεύσομαι Ἀθήναζε φέρων σοι δωρεὰν ἀντὶ τῆς ἐλευθερίας, εἰς ἣν ἐξείλετο ἡμᾶς ὁ παρὰ σοῦ λόγος (cf. Diog. ep. 9 ἡμᾶς τοὺς τοιούτων ἀνθρώπων ποιητὰς) ἐμαυτὸν κρείττονα τῶν πάντων κτημάτων. — Exsistit igitur quaestio, num Cratetis epistulae ab eodem atque ullae Diogeneae auctore scriptae sint. Quam rem ut diversis argumentis diiudicare possimus, bene accidit. Ut ea, quae minoris momenti sunt, praetermittam,[1]) primum genus dicendi a Diogenis epistulis aliquantum differt, nam quanquam multae Diogenis epistulae magis minusve rhetorice scriptae sunt, tam rhetorice quam haud paucae Cratetis nulla Diogenea scripta est. Nam ubi invenis talia ut e. g. in Cratetis ep. 3,[2]) 5, 13?[3]). — Deinde conferas quaeso cum Diogenis epistulis praeter ceteras epp. 7 et 18. Cratetis. Tales ab ullo epistularum Diogenearum auctore scriptas esse, vix quisquam, qui accuratius dicendi genus epistularum Diogenis examinaverit, putabit.[4]) Accedit argumentum alius generis. In ep. enim 7 (§ 2) et 34. Diogenis exemplo Ulixis, viri Graecorum sapientissimi (§ 2), habitus cynicus defenditur. At quid in ep. 19. Cratetis legimus? Μὴ λέγε τὸν Ὀδυσσέα πατέρα τῆς κυνικῆς, τὸν πάντων μαλακώτατον ἑταίρων (?) καὶ τὴν ἡδονὴν ὑπὲρ πάντα πρεσβεύοντα, ὅτι ποτὲ τὰ τοῦ κυνὸς ἐνεδύσατο· οὐ γὰρ ἡ στολὴ ποιεῖ κύνα, ἀλλ' ὁ κύων στολήν, ὅπερ οὐκ ἦν Ὀδυσσεὺς κτλ. — Quae cum ita sint, hanc epistulam ab eodem atque Diogenis 7. aut 34. scriptam esse nullo pacto concedendum est. — Illius auctor prorsus auctorem ep. 7. (et 34.) Diogenis corrigere velle videtur. — Ceterum in schol. ad ι 5 Ulixem propterea, quod vitam voluptati deditam laudavisset (cf. in ep. ἐπαινῶν δὲ τὸν ἡδὺν βίον), vituperatum esse legimus (contra

---

1) Miramur, quod tam paucis hominibus Crates personatus epistulas mittit. Neque „sodalibus" aut divitibus aut Atheniensibus Diogenes personatus scribit.

2) Μελέτω ὑμῖν τῆς ψυχῆς, τοῦ δὲ σώματος ὅσον ἀνάγκη, τῶν δ' ἔξωθεν μηδ' ὅσον· εὐδαιμονία γὰρ οὐχ ἡδονή, δι' ἣν τῶν ἐκτὸς χρεία, ἀρετὴ δὲ μετ' οὐδενὸς τῶν ἐκτὸς τελεία.

3) Imprimis cf. initium: Ἄδοξος στολὴ Διογένειος, ἀλλ' ἀσφαλής, καὶ πιστότερος ὁ χρώμενος αὐτῇ τῶν τὰ Καρχηδονίων φορούντων· καὶ λιτὸς ὁ βίος, ἀλλ' ὑγιεινότερος τοῦ Περσικοῦ· καὶ ἐπίπονος ἡ διαγωγή, ἀλλ' ἐλευθεριωτέρα τῆς Σαρδαναπάλλου κτλ.

4) In ep. 18 (et 7) coniunctio καί tam saepe iterata nos offendit (ceterum in ep. 18 verborum ordo in initio et in fine accurate sibi respondet).

quam obtrectationem in his scholiis diverso modo defenditur).[1]). Ab epistolographo igitur non primo haec vituperatio facta est, inde autem, quod Ulixem non ob illa verba defendit, sed vituperat atque Diogenis vitam ei opponit, sequitur, ut ep. eo tempore, quo Ulixis exemplum iam a Cynicis abiectum erat, scripta sit. Cynicos autem Ulixis exemplum temporibus posterioribus abiecisse Norden l. c. 19, 394—5 demonstravit. — Epistulam autem 19 non est cur a ceteris Cratetis secernamus.

Quae cum ita sint, Cratetis epistulas ab eodem atque ullas Diogeneas scriptas esse nego atque pernego. (Quod Boissonadius ex consensu inter ep. 30. Diog. et 6. Crat. aliquando concluserat, per se cadit; sin autem epistula Cratetis octavae Diogenis nonae respondet, nihil ex hac re sequitur nisi ut eius auctor illam Diogenis epistulam cognitam habuerit. Inde vero, quod vocabula quaedam posterioris aetatis, quorum Marcks p. 17, 2 haud pauca collegit, in utrisque inveniuntur, nihil nisi id colligi potest, epistulas et Diogenis et Cratetis aetate posteriore scriptas esse.)

Quin etiam compluribus indiciis non parvi momenti comprobatur, auctorem epistularum Cratetearum epistulas Diogenis usurpasse. Cf. ep. 6. Crat. Φιλοσοφεῖτε πολλάκις ἢ[2]) ἀναπνεῖτε (inepte dictum!) … καὶ μὴ ὡς οἱ ἄλλοι, ἀλλ' ὡς ἤρξατο μὲν Ἀντισθένης, ἐτελείωσε δὲ Διογένης. εἰ δὲ δύσκολον τὸ ὧδε φιλοσοφεῖν, ἀλλὰ συντομώτερον· πρὸς δὲ εὐδαιμονίαν, ὡς ἔλεγε Διογένης, κἂν διὰ πυρὸς βαδιστέον κτλ. cum Diog. ep. 30, ubi Diogenes se ab Antisthene viam δύσκολον et σύντομον ἐπ' εὐδαιμονίαν didicisse narrat atque § 2 in fine dicit ἐπὶ γὰρ εὐδαιμονίαν ἐπειγομένῳ κἂν διὰ πυρὸς ἢ ξιφῶν βαδιστέον εἶναι.[3]) Praeterea cf. ad initium epistulae verba ἢ ἀναπνεῖτε Diog. ep. 37, ubi haec via accuratius describitur § 6 ἐγὼ . . . . ἧκον τὴν ἐπ' εὐδαιμονίαν ὁδὸν σπεύδων ἀπνευστί: prorsus manifestum est, auctorem epistulae Cratetis 6. epistulam 30 et 37 Diogenis usurpasse. — Alia exempla praesto sunt. Cf. ex Crat. ep. 21 . . . . ἀλλ' οἱ πολλοὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ τοῖς κυσὶ ἱέμενοι ἐπειδὰν ἐπιβλέψωσι τὸ χαλεπὸν αὐτῆς, φεύγουσι τοὺς ἐπιφωνοῦντας κτλ. cum ep. Diog. 12 Οἱ πολλοὶ . . . ὅταν μὲν σύντομον ὁδὸν ἐπ' εὐδαιμονίαν φέρουσαν ἀκούσωσιν, ἵενται καθάπερ ἡμεῖς ἐπὶ φιλοσοφίαν· ὅταν δ' αὐτῆς τὴν χαλεπότητα θεάσωνται, ὡς ἀσθμαίνοντες (P) ὀπίσω ἀνα-

[1]) Ea autem interpretatio, Ulixem κατὰ τρόπον et ἦθος Phaeacum dixisse ad Antisthenis s. Stoicorum interpretationem Homeri redit. (cf. supra p. 37, adn. 1.).

[2]) πολλάκις ἢ (saepe quam)?!

[3]) Num tale quid ad Diogenem ipsum redeat, plane incertum est. Cf. e. g. Aristoph. Lys. 133; Xen. oec. 21, 7; conviv. 4, 16; praeterea cf. Sil. 15, 41; 14, 175 (cf. etiam Rupertium ad hunc locum). Auctor igitur epistulae Diogenis 30 illa verba ipse Diogeni subdere potuit.

χωροῦσιν. — Deinde cf. ep. Crat. 20 Χωρισθέντος σου παρ' ἡμῶν ἐπ' οἴκου κτλ. cum Diog. ep. 6 Χωρισθέντος σου εἰς Θήβας, in fine illius: ταῦτα ἐπέσταλκά σοι, ἵνα . . . κεῖθι δὲ ἔνθα οἱ νέοι διατρίβουσιν, ὧν ἐχρῆν τι ἡμᾶς προμηθεῖσθαι κτλ., huius: τοῦτο ἐπέσταλκα . . . . ἀλλὰ (καὶ σὺ πειρῶ εἰς τὴν ἀγορὰν ἐμβάλλειν), ἔνθα πολλοὶ διατρίβουσιν ἄνθρωποι . . . . ἣν ἐπὶ σωτηρίᾳ ἀνθρώπων κατάγομεν ἡμεῖς.

Ceteras similitudines, cum per se ex communi fonte repeti possint, praetermitto.[1]) — Aetas igitur, post quam epistulae Cratetis scriptae sint, satis definita est, sed quanto temporis spatio post Diogenis epistulas exortae sint, incertum est. Sed ni omnia me fallunt, aliquanto recentiores sunt. (cf. etiam, quod in ep. 19. exponitur, v. supra p. 52/3). Nunc pauca ad nonnullas epistulas adnotemus. In universum de omnibus dicendum est, re vera praeter ep. 19 et 34 vix unam ullius pretii esse.

Ep. 19. De ep. 19 iam Norden l. c. 19, 394—5 optime quid iudicandum esset exposuit, ut vix quicquam addi possit, nisi id, auctorem, si in fine de Diogenis λόγοις dicit, fortasse diatribas (vel tale quid) sub Diogenis nomine cognitas habuisse.

Ep. 34. Cum ep. 34., cuius narratio ex fonte bonae notae desumpta est, conferas quaeso Philonis locum[2]) (iam a Boissonadio allatum), qui ita consentit, ut utrumque auctorem ad eundem fontem redire eluceat.[3]) In hoc fonte, qui fortasse etiam singularis libellus de Diogenis venditione fuit, haec res accuratius narrata erat. Sunt autem quaedam enuntiata in epistula, quae apud Philonem quidem desint, sed sine dubio ex fonte desumpta sint, cf. imprimis § 3 Diogenis verba οὐ παύσεσθε κ. τ. λ. usque ad ἀγαθά, egregie cynica, quae sine dubio a Diogene ipso dicta esse possunt. Adde § 4 finem, quocum cf. Diog. ep. 12 fin.

Sed hunc fontem Menippi Διογένους πρᾶσιν fuisse non credo (quod Dümmler, Akademika p. 209—10 putare videtur), nam Philo ea, quae in hac satira explicata erant, re vera ita facta esse vix credidisset et vix exemplum ex ea desumptum attulisset.[4])

---

[1]) Ep. 2: Diog. ep. 10; ep. 20 et 27: Diog. ep. 10; in ep. 16 τὰ θεῶν ὅπλα quod Crates personatus τρίβωνα et πήραν vocat, hoc ex ep. 7 aut 34. Diogenis explicandum videtur, nam ita eas res vocat, aut quia Minerva eas invenerit aut Iuno tali habitu induta sit. Illud fortasse verisimilius est, cf. etiam Diog. ep. 7 . . . ἡ δὲ εὕρημα τοῦ θεοῦ.

[2]) De sapient. libert. p. 883 M.

[3]) Epictetus quoque hanc narrationem ipsam novit, cf. IV 1, 114—7; II 13, 24.

[4]) Ceterum quod Dümmler l. c. de Antisthenis Physiognomico ex hac epistula coniecit, iam Norden satis refutavit, ut de hac re verba facere nolim.

Restat ep. 35., in quam accuratius inquirendum est. Cuius auctorem non sub Cratetis nomine scribere iam Usenerus Marcksium docuit. Quod unusquisque, qui epistulam legerit, perspiciet, ita ut id accuratius demonstrare supervacaneum sit. Omnino non subditiva, sed vera, ab homine quodam ad alium serio scripta esse videtur. Ceterum ea, quae epistulae auctor exponit, etiam cum Cynicorum doctrina quam maxime pugnant, cf. ... τότε θλιβόμεθα ἄνθρωποι, ὅταν ἀπερίστατον βίον ζῆν ἐθέλωμεν κτλ. ἀνάγκη δὲ καὶ μετ' ἀνθρώπων κτλ., nam Cynicus vitam ἀπερίστατον ipsam agit, cf. Max. Tyr. 36, 3—4; Epict. III 22, 69. Immo stoicae epistulae sententiae esse videntur, cf. Epict. m. 2. Ep. 35.

Marcksius igitur epistulam ad Aprum, Aristarcheum grammaticum, qui Augusti aetate floruit, missam esse coniecit. Quam opinionem ut sequar mihi persuadere non possum. Certe ad Aprum, qui Aristarcheus grammaticus fuit, epistulam scriptam esse non puto. Nam si hoc verum esset, num auctor metuisset, ne ei ἀκαιρότερος καὶ σχολαστικώτερος videretur? [1]) Neque Useneri interpretationem verborum τὰ τῶν τραγῳδῶν rectam esse puto. Nam Aristarcheum grammaticum histrionum collegio praefuisse minime veri simile est. Exemplo Euodiani rhetoris nihil probatur: aliud rhetori, aliud grammatico tribuendum est. Mihi interpretatio Boissonadii recta esse videtur: cum homines saepe cum histrionibus et vita cum fabula comparetur, loco Epicteti (I 24, 15—18) [2]) haec verba explicari puto: „alios homines magnas partes agant sinas (ut τραγῳδοὶ sint, cf. Epict.), tu pauper, [3]) sed beatus fias.

Sed id quidem Marcksius recte cognovit, epistulam ad Aprum [4]) quendam missam esse. Postremo ex reliquis epistulis perpaucas deligam. Epistulae 7 argumentum ex Cynicorum sententia esse apparet. Qui paupertatem semper praedicabant, in divites odium Ep. 7.

---

[1]) Eum igitur, cui epistula mittitur, non in doctorum umbraculis, sed in luce fori versatum esse putandum est.

[2]) Iam a Boissonadio allato; Epictetum ipse inspicias, ut hanc interpretationem probes; adde Epict. I 4, 26.

[3]) Vel ut Epictetus dicit, εἷς τῶν χορευτῶν esto.

[4]) Ceterum hic Aper Graecus fuisse potest. Aetate Romana apud Graecos saepius nomina Latina inveniuntur. (Κλ(αύδιος) Ἄπ[ερ Μαρ]αθώνι(ος) ephebus tribus Aeantidis C. I. A. III 1171, qui titulus annum inter 197/8 et 207/8 p. Chr. n. scriptus est). Nomen Aper (in epistulae titulo) secundum declinationem tertiam quae vocatur flecti animadversione dignum est; ceterum Marcksius nonnullis exemplis comprobavit, nomina propria, quae in Latina lingua secundum alteram declinationem flectuntur, nonnunquam a Graecis secundum tertiam declinationem Latinam flexa esse.

vehementissimum habebant. Cf. Luc. dial. mort. 1; Necy. 11—12; Ep. 13. 19—20; fin. — In ep. 13. si vestis Carthaginiensis commemoratur, haec res ita interpretanda est, aut auctorem Cratetis aetatis memorem Carthaginem veterem intellegere, aut Carthaginem aetate imperatoria rursus aedificatam. [1]) Qua de re diiudicari nequit. — Ep. 15. Ep. autem 15. primo obtutu plane miram similitudinem cum Maximi Tyrii quodam loco habet, ut Boissonadius ad hanc epistulam adnotavit, qui dicit „il y a dans Maxime de Tyr un passage, qui semble presque le modèle ou la copie de celui-ci", quam ob rem utrumque locum ipsum affero:

Crat. ep. 15.

Φεύγετε μὴ μόνον τὰ τέλη τῶν κακῶν, ἀδικίαν καὶ ἀκρασίαν, ἀλλὰ καὶ τὰ τούτων ποιητικά, τὰς ἡδονάς· μόναις γὰρ ταύταις καὶ παρούσαις καὶ ἐλπιζομέναις ἐπιτελεῖται [2]), ἄλλῳ δὲ οὐδενί. καὶ διώκετε μὴ μόνον .... ἀλλὰ καὶ ... τοὺς πόνους ... οὐ γὰρ μεγάλῳ τινὶ ἀντικαταλλάξετε χείρω, ἀλλ' ὅσον χρύσεα χαλκείων, πόνων ἀρετήν. (hoc fere modo verba extrema restituenda esse videntur.)

Max. Tyr. III 5.

... καὶ γὰρ ὁ κατ' ἀρετὴν πονῶν ἑκὼν φιλίᾳ ἡδονῆς πονεῖ, παρούσης ἢ προσδοκωμένης· ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς χρηματισμοῖς οὐδεὶς ἑκὼν ἀντικαταλλάττεται δραχμὴν ταλάντου οὐδὲ χρυσοῦ χαλκόν.... οὕτως ἀμέλει κἂν ταῖς τῶν πόνων ὁμιλίαις οὐδεὶς πονεῖ πόνου ἐρῶν, (ἢ γὰρ ἂν εἴη ὁ δυσεραστότερος) ἀλλάττεται δὲ τοὺς παρόντας πόνους, ὡς μὲν εἴποι ἄν τις τῶν ἀγροικοτέρων, τοῦ καλοῦ (ὡς δέ τις ἀληθεστέρων, ἡδονῆς).

Sed neque Maximum epistula usum esse putandum est, qui omnia voluptatis causa fieri (sophistice) accuratius exponit, neque epistolographum inde sententias desumpsisse puto, quia prorsus contrarium eis, quae Maximus exponit, in epistula legitur. — Itaque mihi rectius esse videtur, hanc inter utrumque auctorem similitudinem casui tribuere. Neque alter altero usus esse neque ex communi fonte hausisse videntur.

Nonnulla de Cynicorum epistulis in universum dicuntur.

Reliquum est, ut nonnulla in universum de Cynicorum epistulis dicam. Neque Diogenis neque Cratetis epistulas ab uno auctore scriptas esse vidimus. Qua ex re sequitur, ut eo tempore, quo iam

---

[1]) Nam ea, quae de veste Carthaginiensi in ep. leguntur, ab auctore ex fonte antiquiore desumpta esse, nullo pacto credendum est.

[2]) Lectio codicum contra Hercherum tenenda est.

a compluribus auctoribus epistulae Diogeni subditae erant, homo s. homines quidam exstiterint, qui complurium falsariorum epistulas in unam collectionem [1]) redigerent. Quod non de Cratetis epistulis valet, nam eae Cratetis epistulae, quae non ab eodem atque plurimae scriptae sunt, nihil nisi variationes ceterarum sunt itaque ab alio homine eis ascriptae esse et hoc modo nobis traditae esse possunt. Quonam tempore hae collectiones factae sint, nescimus. Hos homines in his epistulis, e. g. in titulis, aliquid mutasse vix ullum vestigium invenitur.

Cratetis autem epistulas a Diogeneis plane secernendas esse vidimus. Illarum nulla ex tali fonte, quali nonnullae Diogenis (10, 12 etc., 30, 31 etc.) fluxit: nonnullae dictum s. factum explicant, ceterae omnes praeter 19, 34, 35 sententias cynicas pervulgatas exponunt. [2]) Ad qualem fontem illae Diog. epistulae redeant, supra vidimus. Omnes autem epistularum Cynicorum auctores omni arte scribendi carebant, atque de vera Diogenis persona perpauca sciebant. Neque antiquiores epistulas eis, quas nos habemus, exemplari fuisse ullum certum indicium invenitur, nisi in ep. 7 et 34 (29 et 40??) Diog., quanquam de hac re nihil certi erui potest.

Neque eae epistulae, in quibus Diogenis itinera narrantur, 30, 31, 35—37 (38), ex antiquioribus fluxisse videntur, [3]) etsi auctor easdem narrandi formulas adhibuit. Ceterum ea itinera, quae in iis narrantur, Diogenem, cum Cynicus factus esset, partim quidem vix fecisse Boissonadius iam demonstravit. Auctor autem de his itineribus aliquid quin traditum acceperit, dubitari non potest. De quibus apud alios quoque auctores audimus. Sed Diogenem ipsum de itineribus suis narrasse putare vix licet.

---

[1]) Complures epistularum collectiones factas esse vel ex eis apparet, quae supra p. 1 sq. exposui.

[2]) Ep. 2 auctor sententias κοινὰ τὰ τῶν φίλων et οἱ σπουδαῖοι φίλοι (D. L. VI 12 de Antisth.) usurpat. Ad rem cf. ep. Diog. 38, 3. — (Ceterum haud scio an Antonii et Maximi locus (ex sermone de benef. et gratia p. 311) Κράτητος. οὐ παρὰ πάντων τὰ διδόμενα δέχεσθαι χρή· οὐ γὰρ θεμιτὸν ἀρετὴν ὑπὸ κακίας τρέφεσθαι, qui verbo tenus cum ep. Cratet. consentit, ex ea desumptus sit. Nam quod in epistula et illo loco legitur apophthegma non est neque ex scripto Cratetis depromptum videtur.) — Plane contrariam sententiam atque ep. 12. Musonius (St. fl. 336 M) explicat. Fortasse epistolographus contra illos, qui Musonii sententiam probabant (Stoicos), pugnat.

[3]) Cratetis autem epistularum auctorem s. auctores non ex epistulis antiquioribus hausisse certum est.

Praeter eas autem Cynicorum epistulas, quae ad hunc diem nobis servatae sunt, etiam alias divulgatas fuisse vel per se verisimile est. Sed etiam tales Diogenis epistulae commemorantur a scriptoribus. Cf. Epict. IV 1, 29—31 . . . Διογένης τῷ Περσῶν βασιλεῖ γράφει . . . Iul. VII 212 d de Diogene: ἃ δὲ πρὸς Ἀρχίδαμον γέγραφεν . . . Quas duas epp. Epictetus IV 1, 156 spectat: Διογένης . . . καὶ γράφει. Διὰ τοῦτό σοι, φησίν, ἔξεστιν, ὦ Διόγενες, καὶ τῷ Περσῶν βασιλεῖ καὶ Ἀρχιδάμῳ τῷ Λακεδαιμονίων, ὡς βούλει, διαλέγεσθαι.

Itaque locum Laertianum VI 80, ubi in catalogo eorum scriptorum Diogenis, quae Sotio genuina esse putaverat, epistulae quoque nominantur, aliter atque Marcksius explicabimus (qui simpliciter statuit, epistularum collectionem a Laertio commemoratam eandem atque quam nos habemus esse (quod mihi quidem negandum videtur): Sotionis temporibus iam Diogenis epistulae ferebantur, quae nobis non servatae sunt.

Quin etiam Cratetis epistulae nobis non servatae ferebantur. Nam si Laertius VI 98 dicit: Φέρεται δὲ τοῦ Κράτητος βιβλίον Ἐπιστολαί, ἐν αἷς ἄριστα φιλοσοφεῖ τὴν λέξιν ἔστιν ὅτε παραπλησίως Πλάτωνι hoc ad alias Crateteas epistulas atque quas nos habemus, referendum esse nemo non videt. Ceterum illud iudicium, quod de his epistulis apud Laertium legimus (imprimis sermonis comparationem cum Platonico), Laertium ex alio auctore desumpsisse vix quisquam, qui eius ignorantiam novit, negabit.

Appendix.

Restant nonnulla, quae de quibusdam Diogenis epistulis hoc loco exponere velim. In ep. 18. Diogenes ridiculum esse censet, quod adulescentes Megarici a se petissent, ut Menodorum philosophum Apolexidi commendaret. Ὅτι μὲν γὰρ ἄνθρωπός ἐστιν, ἐκ τῶν εἰκόνων εἴσῃ [1]), εἰ δὲ καὶ φιλόσοφος, διὰ βίου καὶ λόγου. ὁ γὰρ καθ' ἡμᾶς σπουδαῖος δι' ἑαυτοῦ συνίσταται. In his verba ἐκ τῶν εἰκόνων sensu carent. Exspectamus autem, Diogenem dicere, Apolexidem Menodorum hominem esse cogniturum esse, si eum vidisset. (De Menodoro, qui et philosophus et sculptor fuerit, nihil audimus; sin autem ἐκ τῶν εἰκόνων de statuis Menodori figuram exprimentibus intellegimus, sententia tamen item absurda est.) Sed est Epicteti locus, qui ad difficultatem tollendam comparari possit. In diss. II 3, 1 haec de Diogene narrat: Καλῶς ὁ Διογένης πρὸς τὸν ἀξιοῦντα γράμματα παρ' αὐτοῦ λαβεῖν συστατικά, ὅτι μὲν ἄνθρωπος, φησίν, εἶ, καὶ ἰδὼν γνώσεται, εἰ δ'ἀγαθὸς ἢ κακός, εἰ μὲν ἔμπειρός ἐστι διαγνῶναι τοὺς ἀγαθοὺς καὶ κακούς, γνώσεται· εἰ δ'ἄπειρος, οὐδ' ἂν μυριάκις γράφω αὐτῷ. Epictetum et epistolographum eandem rem spectare apparet. Itaque sententiarum conexum si consideramus, pro ἐκ τῶν εἰκόνων scribendum esse videtur (καὶ) [2]) ἰδὼν ἐκεῖνον (vel simile quid.) — In ep. 20 Diogenes Melesippum lugentem, quod Diogenes ab adulescentibus ebriis pulsatus esset, consolatur, nam ὑπὸ φαύλων μήτε κοσμεῖσθαι πέφυκεν μήτε καταισχύνεσθαι. Hoc Cynici Stoicique docuerunt, ex quorum sententia sapiens nullo modo contumeliam accipere potest. Qua de re cf. Musonii diss. ap. St. fl. I p. 303—5 M., Senecae dial. l. II, Epict. m. 3. 20. 24, 1. 30 fin., 42. 52, 4; diss. IV 5, 28, imprimis III 22, 10

---

1) P οἴει, sed A cum reliquis εἴσῃ.

2) Ni memoria me fallit, καί Sauppius supplevit.

de Cynico οὐδεὶς αὐτὸν λοιδορεῖ, οὐδεὶς τύπτει, οὐδεὶς ὑβρίζει, cf. etiam Marc. II 1, IV 7. Itaque in epistula si sequuntur Διογένης μὲν δὴ οὐχ ὑβρίσθη, κακῶς δὲ ἔπαθεν ὁ Ἀθηναίων δῆμος, illud οὐχ ante ὑβρίσθη sane rectum, non cum Schafstaedtio (l. c. p. 35) delendum est. Ut autem grammaticae rationi satis faciamus, verba ita transponamus: Δ. μ. δ. ο. ὑ., ὁ δὲ Ἀθηναίων δῆμος κακῶς ἔπαθεν. Ceterum enuntiata, quae sequuntur, ἀρετῆς ὑπεριδεῖν, omnino cum eis, quae antecedunt, non cohaerent. Nam quis est ille εἷς? Nisi ante verba διὰ γοῦν τὴν ἑνὸς ἀφροσύνην κτλ. lacuna statuenda est, auctorem ea ex scriptore nescio quo desumpta sine ulla mente ac ratione addidisse putandum est. — In fine epistulae hanc sententiam inesse Wilamowitzius putat: „quodsi magistratum creassent impotentiam, tantopere non peccassent" (τὴν ante ἀρχὴν del. Wil.).

In ep. 10. Diogenes Metroclem adhortatur, ne stipem cogere vereatur. Sententiae epistulae sic procedere videntur: Non turpe est, ab hominibus τὰ σωτήρια (quae nos, Cynicos, servant, σῴζει) [1]) petere [2]) — petunt enim omnes — nam salutis omnium causa petere licet ab hominibus, quae secundum naturam sunt, et ut eadem quae Hercules [3]) facere et multo meliora eis, quae acceperis, reddere possis. Haec enim pugna praeclara contra opinionem est. — Quod in fine epistulae exponitur non αἰτεῖν τοὺς σπουδαίους, sed ἀπαιτεῖν addito illo syllogismo, quo haec sententia confirmatur, hoc aliis locis Diogeni ipsi, hic a Diogene personato Socrati tribuitur. Quod non plane falsum esse videtur. Antisthenes ante Diogenem πάντα τὰ τῶν ἄλλων τοῦ σοφοῦ esse docuerat (D. L. VI 11). Accedit quod κοινὰ τὰ τῶν φίλων Platonica sententia est. Itaque fortasse non audacius est conicere, Cynicos illum syllogismum a Socrate, cui tam multa debent, vel ab Antisthene sumpsisse. — Cum eis, quae in epistula de Hercule et de sapiente dicuntur, cuius omnia sunt, cf. Dionis or. I 62 de Hercule ἐπιστεύετο γὰρ αὐτοῦ πάντα εἶναι καὶ οὐδὲν ἀλλότριον (D. L. VI 12: Antisthenes docuit: τῷ σοφῷ ξένον οὐδὲν οὐδ' ἄπο). Sin igitur Cynicus ἐπὶ σωτηρίᾳ πάντων petit (ep. 10, 1), hoc ita intellegendum videtur: si Cynicus petit, multo meliora reddere potest, (omnino autem dare non posset, nisi petendo se servaret). Cynici igitur se hominum σωτῆρας saepius praedicasse

---

1) Ita hoc explicandum videtur (nisi cum Schafstaedtio p. 34 σιτάρια scribendum est) nam haec „σωτήρια" ita interpretari, ut ea ad salutem hominum referenda sint, propter exempla regum, medicorum etc. addita non licet.

2) αἰτεῖν: haec Cynicorum consuetudo nota, cf. e. g. ep. Diog. 11. 34 init., 38, 4; Crat. ep. 2. 17. 19. 22. 26. 27. 36; D. L. VI. 46. 49. 67 [Luc.] Cyn. 2 fin.

3) De eius liberalitate cf. Dionis or. I 62 et 65.

videntur, cf. ep. 6 fin. (adde quod Dio I 84 Herculem, qui in epistula quoque laudatur, [1]) hominum σωτῆρα dictum esse narrat).

In ep. 12 haec legimus: Plerique cum compendiariam viam ad beatitudinem ducere audiverint, pariter atque nos ad philosophiam contendunt. Sin autem viae difficultatem cognoverunt, velut anhelantes (ὡς ἀσθμαίνοντες P) recedunt, non suam mollitiem, sed nostram ἀπάθειαν vituperantes (cf. Ceb. XXVIII 2 P.). Sinas igitur eos cum voluptatibus concumbere, nam eos ita viventes non is labor, propter quem nos calumniantur, sed maior excipiet, propter quem omni circumstantiae (περιστάσει) [2]) turpiter serviunt. Tu autem in exercitatione (ἀσκήσει), ut coepisti, permaneas et pariter voluptati atque labori resiste, quia utrumque pariter nobiscum bellum gerit et in primis [3]) impedimento est . . . . Hanc epistulam vix paene totam descripsissem, nisi tota cynica esset. Ad sententiam initii cf. ep. 30, 2 τότε οἱ μὲν ἄλλοι κτλ. De compendiaria via [4]) (συντόμῳ ὁδῷ) cf. ep. 30. 37. 44; Crat. ep. 6. 16. Galeni quoque locus (V 71 K.) dignus est, qui inspiciatur, ubi medicus Cynicorum ἀμαθίαν (sic!) vituperat. ἀπάθεια Cynicorum nota est, cf. e. g. Tel. p. 8, 10. 42 sq. (c. VII H) Diog. ep. 47 ὁ δὲ ἀπαθής, Crat. ep. 34, 4; Luc. Vit. auct. 9 fin., Dionis or. VIII 16, D. L. VI 2 et 15, vide etiam supra p. (21 adn. 2) 23, adde Philod. de philos. (vol. Herc. VIII col. VIII 7 sq.) τῆς τοῦ Διογένους δόξης, ἣν κατεχώρισεν ἐν τῇ Πολιτείᾳ τῆς ἀπαθείας καταπληθόμενος . . . Quibus exemplis optime Zelleri coniectura (II 1 [4], 312 adn. 2) comprobatur. Stoicorum quoque virtus ἀπάθεια fuit, cf. Epict. m. 12, 2. 29, 7; d. I 4, 1. 28, sed haec virtus eorum a Cynicorum ἀπαθείᾳ nonnihil diversa, cf. descriptionem huius Stoicae virtutis apud Epictetum fr. 159, imprimis autem Senecae ep. IX 3. In periodo, quae sequitur, duo laborum genera

---

1) Eum Cynicorum exemplar fuisse notum est.

2) Qua de re cf. e. g. Epict. diss. I 2, 23. 6, 34 et 37. 15, 4—24. 18, 21. 22, 1. 24. 26, 2. 29, 33–4 et 36. 30. II 1, 28. 6, 16 sq. III 22, 76. fr. 154, Ceb. XXXVIII fin. (p. 32 P), Max. Tyr. XXXVI 3. 4. 5. 6., Marc. I 15, D. L. II, 66, VI 22, (ἀπερίστατος D. L. VII 5). Cf. etiam supra p. 55.

3) Schafstaedtium (p. 34) verba εἰς τὰ πρῶτα recte in εἰς τὰ πράγματα mutare persuadere mihi non possum: quaenam πράγματα sunt Cynicis facienda? εἰς τὰ πρῶτα mordicus tenendum esse censeo, praesertim cum in sententiarum conexum bene quadret. Usum autem Graecae linguae ab hac formula minime abhorrere his exemplis demonstratur: εἰς τὰ πρῶτα τιμᾶσθαι Thuc. III 39, 2 et 56, 6; λογίμου ἐς τὰ πρῶτα Hdt. IX 16.

4) Vide etiam supra p. 00. Sin igitur Lucianus (Vit. auct. 11) Diogenem ad gloriam compendiariam ducentem facit, hac re, ut aliis, Diogenis imagini aliena immiscet. Gloria enim a Cynicis non solum ἐν ἀδιαφόροις habita, sed etiam pedibus calcata est, cf. de ἀδοξίᾳ supra p. 33/4.

distinguuntur, quod Cynicos et Stoicos fecisse scimus. Cf. Aristonem ap. Weber. p. 259, 4 (Weber p. 105—6). Maior labor eos, qui voluptati serviunt, excipit, quia (secundum Cynicorum sententiam) voluptatem semper taedium sequitur, cf. ep. 28, 5 fin., Dionis locum (VIII 26) supra (p. 45) allatum, Ceb. IX 3—4, X P. — In fine Cratetem Diogenes adhortatur, ut aeque contra laborem atque voluptatem pugnet. Haec (contra voluptatem) Cynicorum pugna nota est (e. g. cf. Luc. Vit. auct. 8 (Zeller II 1[4], 306—7). Illa (contra πόνον) aliquando Marcksio p. 10 offensioni fuit, sed ipse Crat. ep. 19 et 34, 4, ut eam explicaret, attulit. Praeclare vero illustratur Dionis loco VIII 13 sq., quem ipse inspicias. (Weberum quoque (p. 140) epistulam cum Dione contulisse postea vidi, qui tamen Marcksii dissertationem non spectavit). Cf. etiam Epict. III 24, 71, adde quod in Crat. ep. 34, 4 a Diogene voluptas et labor τὰ μέγιστα τῶν κακῶν δελέατα dicuntur. — Hoc autem Diogenes Crateti propterea praecipit, quia is tantum, qui πόνον (et voluptatem) superavit, omnibus malis liberari et beatus fieri potest.

In ep. 44, ad quam cf. Schafstaedt l. c. p. 39, verbis . . . μόνον πτωχὸν αἰτεῖν κατὰ Πλάτωνα auctor non Platonis locum, sed Diogenis de Platone dictum (D. L. VI 67) spectare videtur: ὀνειδιζόμενος, ὅτι αὐτὸς αἰτεῖ Πλάτωνος μὴ αἰτοῦντος, „κἀκεῖνος“, εἶπεν, „αἰτεῖ, ἀλλ' ἄγχι σχὼν κεφαλήν, ἵνα μὴ πευθοίατ' οἱ ἄλλοι“.

Addenda.

Pag. 7 l. 6: post „spectant" (adnotationis loco) adde: Ut epp. 2. 8. 13. 21. 33. 35. 41, (non 47, nam Zeno Stoicus intellegendus est, cf. D. L. VII 121: sapientem καὶ γαμήσειν (ὡς ὁ Ζήνων φησὶν ἐν Πολιτείᾳ) καὶ παιδοποιήσεσθαι). Praeterea nonnullae epistulae, nisi titulum spectamus, ad quemvis Cynicum missae esse possunt, ut epp. 10 et 36, (praeterquam quod eum, cui epistula mittitur, Diogenes in periodo prima s. extrema appellat) praeterea 11, 12, 44: atque in multis epistulis ratio, quae inter Diogenem et eum, cui ep. mittitur, intercedat, ab auctore ipso ficta esse videtur, ut in epp. 14—16 (17?) 18, 20, 22, (23?) 25, 27, 37—39, 48—51.

Pag. 7 adn. 1: post verba Μηνόδωρος φιλόσοφος (18.) insere: Κίκερμος, nomen, cuius rectam formam Κίχερμος esse Wilamowitzius putat (cf. Schafstaedt l. c. p. 33), nusquam inveniri videtur.

Pag. 20 adn. 3 ante verba „Laertius ut Bionis" insere: „Quanquam eius coniecturam (D. L. IV 51 pro ὁποῖοι ὅμοιοι scribere proposuit) non rectam esse puto". — Post „Laertius" insere „enim".

Pag. 39 l. 17/8 post „verisimillimum est" (adnotationis loco) adde „Aliter de hac re Hobeinius amicus iudicat (in dissertatione inaugurali Gottingensi, quae inscribitur „De Maximo Tyrio quaestiones philologae selectae" (1895) p. 85)".

Pag. 48 l. 23 post „dubitari potest" (adnotationis loco) adde „Quod Hobeinius l. c. p. 93 sq. demonstrat, qui aliquando, cum in seminario philologo Gottingensi disputaremus, Maximum (in diss. 36.) Dione (or. VI) usum esse mihi concedere noluit. Ceterum locis, quibus Maximus Dionem imitatus est, a Hobeinio collectis nonnullos addo: Max. . . . . καὶ οὐκ ἀπεδίδρασκε τὰς ὥρας: Dio § 10 εὐθὺς ἀποδιδράσκουσιν τὸν ἀέρα, Max. ἁπάντων τῶν ἀνδρῶν καὶ ἐπιτηδευμάτων κατεγέλα: Dio § 21 τῶν ἀνθρώπων καταγελῶν (ad rem cf. Luc. dial. mort. (I 1) XXII fin., Democritum personatum in ep. Hippocr. XVII 20 sq., deinde cf. Max. 36, 1 cum Dionis § 28, Max. 36, 2 (p. 141, l. 24 D.) cum Dionis § 29, Max. 36, 3 (p. 141, 2) cum Dionis § 62. — Praeterea cf. Max. diss. IV p. 12 l. 18/9 D. cum Dionis § 48 fin. Quibus locis, ni fallor, etiam alii addi possunt. — Ceterum in universum „de Cynicorum doctrinae vestigiis apud Maximum" cf. Hobeinium l. c. p. 83—90.

Vita.

Natus sum Guilelmus Augustus Cornelius Fridericus Capelle Hannoverae a. h. s. LXXI die XXI. mens. Aug. patre Carolo, matre Bertha e gente Graff, quibus superstitibus valde gaudeo. Fidei adscriptus sum evangelicae. Primis litteris imbutus a. LXXVIII ludum litterarium Lycei I adii. Anno LXXXI discipulus gymnasii Hannoverani Lycei I factus sum, cui pater praeerat, qui etiamnunc ei praeest. Ex magistris meis cum aliis tum Ferdinando Hornemann, praeceptori egregio, magnas gratias habeo. Vere anni XC Tubingam me contuli, ut studiis philologicis me dederem. Anno post Gottingam profectus sum, ubi per septem semestria studiis philologicis operam navavi.

Docuerunt me viri doctissimi: Buder, Crusius, Hertzog, de Kugler, Dietericus Schaefer, W. Schmid, Schwabe Tubingenses, Baumann, Bonwetsch, C. Dilthey, Heyne, Leo, G. E. Mueller, Roethe, Sauppe, de Wilamowitz Gottingenses.

Tubingae semestri hiberno exercitationibus proseminarii philologici interfui. Proseminarii philologici Gottingensis per duo, seminarii per quattuor semestria sodalis fui, per unum senior. Proseminarii Germanici Gottingensis per duo, seminarii per tria semestria sodalis fui. Ad exercitationes philologicas et metricas Leo, ad archaeologicas C. Dilthey benigne mihi aditum permiserunt. Gratias ago summas Udalrico de Wilamowitz, qui quanta erga me liberalitate et benevolentia fuerit, nunquam obliviscar. Etiam in hac quaestione de Cynicorum epistulis facienda eum me multis locis liberalissime adiuvisse gratissimo animo hoc loco profiteri mihi liceat.